UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# Syntagma Ivris || Vniversi, Atqve Legvm || Pene Omnivm Gentivm, Et || Rervm Pvblicarvm Præcipvarvm,||

**Grégoire, Pierre**

**Francofurti ad Mœnum, M.D.XCIX.**

**VD16 VD16 G 2999**

Liber XXII. De Mutuo.

urn:nbn:de:hbz:466:1-97739

Visual Library

ſibi debito per fiſcum non compenſat, quamuis extra fiſcum in
aliis diuerſum verius ſit, *l.ſi ex venditione, 7. C.de compenſat.* Ne-
que etiam quod debetur reipublicæ, compenſari a debitore po-
teſt cum eo, quod adminiſtrator, vel curator eius debet debito-
7 ri nomine proprio, *l.pen. C.de compenſ.* ¶ 4. Non † habet locum
compenſatio, nec poteſt opponi ab eo, qui depoſitam rem ha-
bet debitoris, *l.ſi.C.de compen.§.in bonæfidei, de act. l.pen. C. depoſ.
c.ſi.de depoſit. ap.Greg.* propter maximam bonam fidem, quæ de-
ponenti rem reddi iubet, *l.bonafides, depoſiti.*1. § *ſi prædonibus, eod.*
nec depoſitum cum depoſito compenſatur, ſed qui primum de-
poſuit, primus recipiat, *gl.in c.ſi.de depoſit.* ¶ 5. Poſſeſſionem alie-
nam perperam occupantibus compenſatio datur, *l.fin. §.fin. de
compenſ. C.* ¶ Ex cauſſa iudicati, debitum ſolutum non compen-
ſatur, *l.2.C.de compenſa* niſi ſoluendo, compenſatio deſideretur,
*l.ſi cum militi, §.1.eo.P.* nam poſt ſententiam in exſecutione,
dummodo non ſit appellatum, obiicitur, *late docet Felinus, in cap.
ſuborta, nu.2.& 3.de ſent.& re iud.* Et debitum quoque litigioſum
in compenſationem venire poteſt, ne diligentior quiſque dete-
rioris conditionis videatur, ſi ei compenſatio denegetur, *Caius l.
in compenſatione 8.de compenſat. P.* Non ſolet enim deterior con-
ditio eorum fieri, qui litem conteſtati ſunt, quam ſi non eſſent,
ſed plerumque melior, *l.non ſolet, 86.de reg iur.in P.* Nemo enim
perſequendo deteriorem cauſſam, ſed meliorem facit, *l. nemo,
87.de reg.iur. P.* ¶ 7. In alternatiue debitis, vt ſi debeas decem, aut
hominem, vtrum aduerſarius volet, ita tantum compenſatio
huius debiti admittitur, ſi aduerſarius palam dixiſſet, vtrum vo-
luiſſet, *Scæuola l.ſi debeas, 22.de compenſat. P.* ¶ 8. In criminibus
publicis non fit compenſatio, *l.2.§ ſi publico, & l.ſi vxor, §.iudex,
ad legem Iuliam de adult.in P.*

8 ¶ Quod † pertinet ad perſonas, a quibus, & quibus compen-
ſatio fit, vel obiicitur, obligationum & actionum cauſſa ex qua
fit, ſatis denotant earum qualitatem. Obiicitur autem in ſum-
ma, & contra priuatos: & contra fiſcum debitores, *l. in priuatis,
12.& l ſi.de noua.P.l.3.C.eo tit.l.aufertur § qui compenſationem, de
iur.fiſc.* paucis, de quibus antea, exceptis. Item in rem ſuam pro-
curatori, poſt litem conteſtatam, *l.in rem ſuam, 18. de nouat. P.* &
fideiuſſori, *l.verum, 4.l.ſi quid 5.eod.tit.P.* & ei, cui datur actio ad
repetendum ſibi debitum, cui multo magis dabitur ad excluſio-
nem debitoris exceptio *l.inuitus.§.cui damus, de regulis iuris.*

9 ¶ Forma, † ſecundum quam nunc compenſatio fit, eſt vt fiat
debiti ad debitum contributio: & ita ex actionis petitione tan-
tum minuatur, quantum ſimile creditor debet. In reliquum au-
tem, ſi quid ſupereſt, is quo cum actum eſt, condemnetur, *§.com-
penſationes, de act.* omiſſa doli mali exceptionis formula, per
quam olim compenſationes opponebantur, *§.in bonæfidei, de a-
ctio.l.fin.C.de compenſat.* In hac electio fit a fideiuſſore conuento,
vt vel quod ſibi, vel quod reo debetur, compenſet, *l.ſi quid, de
compenſat.P.* Item qui compenſationem obiicit, in quam com-
penſat cauſſam dicet, ſi ex pluribus debeat, *l.q. Labeo, eod.* Fit et-
iam compenſatio cum ſua cauſſa: veluti, ſi Titius petat eam quo-
que pecuniam, quam certo loco promiſit in compenſationem
venire: quod fiet, ſed cum ſua cauſſa, id eſt, vt ratio habeatur
quanti tua interfuerit, eo loco quo conuenerit pecuniam dari,
*l.pecuniam, 15.eo.*

¶ Opponi † poterit compenſatio & in iudicio, & extra iudi- 10
cium, & poſt iudicium. Et ſi iudex non admittit propoſitam
compenſationem, poſt ſententiam poteſt opponi, *glo.in c.ſubor-
ta, 21.in verbo reprobaſſe, de ſenten. & re iud. ap. Greg.* niſi eam ex-
preſſe in ſententia reprobauerit, *l.quod in diem, §.1.de compenſa l.
ſin autem, §.ſi quocunque modo, de neg.geſt. P.* Ex conſuetudine ta-
men Galliæ, compenſatio non proponitur, nec propoſita ad-
mittitur, ſine codicillis regiis impetratis ab officina æquitatis,
ſeu cancellaria, vt deciſum areſto Pariſienſi 29. Iunii, 1541. *Phi-
lipp. Buignon. in legib.abrogatis.* In patria tamen iuris ſcripti, fru-
ſtra precibus impetratur, quod iure communi conceditur, *leg.1.
de theſaur. libr.10. C.* ¶ Inuentæ † autem ſunt, & admiſſæ com- 11
penſationes, potiſſimum ad ſopiendos litium circuitus, vt in
plerisque aliis obſeruatum, *vt in l.cum fundus, 31.§ 1.de reb.credit.*
ne fiat per plura, quod fieri poteſt per pauciora, *l.ampliorem, §.in
refutatoriis, C.de appellat. l.nulli, 10.de iudic. l.ſi.C.de donat.* Dein-
ceps æquiſſimum eſt, vt eo iure quis vtatur in alium, quo alium
erga ſe vti deſiderat, *l.1.quod quiſque iur. in P.c.1.diſt.1.* Et eum
qui alium ſibi ſoluere deſiderat, eidem quoque ſatisfacere. Item
dolo malo poſtulat ſibi dari, quod ſtatim reſtituturus eſt, *l.dolo,
de dolo.in P.c.dolo facit, de regul.iur.in ſex cum ſimilib.not* Et Pom-
ponius, *Ideo,* inquit *in l.3.de compenſ.P.l.ſi ſtipul.eſſes in ſi.de fideiuſ.
in P. nobis compenſatio neceſſaria eſt, quia intereſt noſtra potius non
ſoluere, quam ſolutum repetere.*

# DE MVTVO.

## LIBER VIGESIMVS SECVNDVS.

### De quatuor generalibus contrahendi modis. Cap. 1.

1 *Quatuor conuentionū omnium habentium ſynallagma formulæ.*
2 *Certum quid, & quomodo fiat, & qui contractus re fiant.*
3 *De contractibus verbis initis in genere.*
4 *De formula contractuum qui literis, & qui conſenſu celebrãtur.*
5 *De contractibus innominatis, & vagis.*

1 POſtquam † ſuperiori libro, per genera, conuen-
tionum naturam, obligationem actionem & diſ-
ſolutionem explicauerimus operæpretium eſt ad
ſingularia cuiuſq; contractus perueniamus, quæ
cum ſuperioribus certam & definitam tractatio-
nem & formulam exigunt. Itaque omnes contractus, qui *συνάλ-
λαγμα* habent, id eſt, vltro citroq; obligationem, *l.Labeo §.con-
tractus, de verb. & rerum ſigni.* ad quatuor formulas, vel quatuor
capita, ſeu ſpecies reducuntur: vt vel re, vel verbis vel literis, vel
conſenſu iniri & perfici dicantur. *Pau.in l.1.§ 1.& Modeſt.in l.ob-
ligamur aut re, de actio.P.§ ſequens, de obl ap.Iuſtin* Sunt enim hæc
quatuor media, res, verba, literæ, conſenſus, quibus voluntas do-
minorum contrahentiū exprimi & certa reddi poteſt. Cū res o-
culis ſubiicitur vel demōſtratur, certa eſt, *l cum olim, de verb ſign.
4.de legat.1.l.ſi fortidianū, C.de legat.l ſi in nomine C.de teſta.l.ſi in
2 nomine, de verb.obl §.ſi quis in nomine, de legatis* ¶ Certū † quoq;,
cuius quantitas, q̄ in obligatione verſatur, oſtēditur qualis quan-
taque ſit, an ſuo nomine, aut demonſtratione, quæ nominis vice
fungitur, *Paul.l.certum, 6.de reb.credit.P.* Eſt & certum per no-
men proprium, quod ad recognoſcenda ſingula impoſitum eſt,
*l.1.de mutat.nomi. C.tit.25.* vt nomina appellatiua certa ſunt qui-
dem pro determinatione ſubſtantiæ, & naturæ ſpeciei, quia re-
rum naturæ confundi prohibentur, *l.4.de leg.1. Plato.in Cratylo.*
Incerta autem ratione indiuiduorum, quæ communem haben-
tes ſubſtantiam, per propria diſcernuntur, tanquam per rerum
notas, *Cicero 5.de Finibus. & 1.de Inuentione, vbi agit de confirma-
tione.* Ita certum eſt, cum apparet quid, quale, quantum: incer-
tum contra, cum iſtis terminis non diſtinguuntur, *l.ſtipulatio-
num quædam 74.l vbi autem non apparet 75. Papinian.l.itaſtipula-
tus, 115. Venuleius l.qui ex pluribus, 106. Marcellus in l triticum, 94.
de verb.obl.P.Pap.in l cum poſt §.generaſocero, de iu.dot.l.2.§ ſi quis
inſulam de eo quod certo loco 1.l.eum, qui inſulam, de iudi* Quamob-
rem in his per commercia pertractandis, quæ re ipſa certa eſſe
poſſent, quæ, qualia, quantave eſſent quæ darentur & transfer-
rentur, placuit & vnum gradum formulæ conſtitui, eorum con-
tractuum, qui re poſſent fieri, ne ſuperfluis & non neceſſariis o-
nerarentur commercia. Superflua enim & perperam poſita, a
conuentionibus, *in l.fin. C.de dona.2.de formul. & impetr.act.ſubl.
1.C.* & legibus, *l.1 §.quib.de nouo Cod.fac.C.leg.1.& 2.de vete.iure e-
nuclea.C.l.1.de mor.iur.quir.tollen.* expungi oportet. *Huius formu-
læ cenſentur l.1.§.re contrahitur obl.cum ſeq.§§.de actio. mutuum, in-
debitum commodatum, depoſitum, ſequeſtratio, pignus, hypotheca.*
¶ At † vbi non poſſunt re ipſa commode definiri negotia con- 3
uenientium, verbis vtendum eſt. Ideo & aliæ conuentiones quæ
ex verborum definitionibus perficerentur, inductæ ſunt, *l.1.§.
verbis, de actio.l.1.de verb.obl.* vnde prodierunt ſtipulationum va-
riæ ſpecies, vt ſuo loco tradetur. ¶ Fuerunt † & ad commodio- 4
rem vſum inuētæ obligationes literarū *§.1.de liber.obl* & alia ge-
neralis cōſenſus formula: quia inter p̄ſentes & abſentes, cōtrahi
cōmodius poſſet: quales cōuentiones, *l.2.actio §.1.de obl g quæ ex
conſ.naſc.* emtio & venditio locatio, conductio, emphyteuſis, nu-
ptiæ, *l.2.de ritu nuptia.in P. de nuptiarum ritibus, & conſenſu dictū
in perſonis, de aliis hoc libr.* mandatum. Et hi omnes contractus
nominati dicti ſunt, veluti proprio nomine diſtincti. ¶ † Qui- 5
bus

bus minime ſufficientibus, alii anonymi additi ſunt: qui quatuor generalibus formulis, do vt des, do vt facias, facio vt des, facio vt facias, *de quib. l. naturalis de præſcri. verb.* vagos & dubii nominis, vel generales contractus auctoritate firmant. Ad quos adhuc quaſi contractus comprobati adiecti ſunt, *de quibus in titu. de obliga. quæ ex quaſi contract. naſcu. ap. Iuſtinian.* de quibus ordine, Deo iuuante.

## De Mutuo. Cap. 2.

Inſti. lib. 3. tit. 15. Lib. 12. P. tit. 1. de reb. credit. Lib. 4. C. tit. 2.

1 *Mutui etymon, & finitio, & differentia a commodato.*
2 *Quatuor ſpecies mutui, ex quatuor modis contrahendi: naturale, ciuile, naturale & ciuile ſimul, & ex fictione iuris: quid naturale.*
3 *Ciuile ſtipulatione vallatum, vel literarum obligatio: & de quarta ſpecie.*
4 *Quomodo inſtrumenta mutui, vbi non eſt numeratio, intelligenda.*
5 *Conſideranda in mutuo, res, perſonæ, negotia.*
6 *Quæ perſonæ mutuo non dent, non dominus, fur, nec alii: qui nequeunt alienare, filiusfa. ſeruus furioſus, &c.*
7 *Adminiſtratores reip. an mutuent.*
8 *Quomodo mutuari poteſt filiusfamilias: & de ſenatuſcon. Macedoniano.*
9 *Filiusfamilias non poteſt renuntiare ſenatuſ. Macedo.*
10 *De lege quina vicenaria.*
11 *In quibus caſibus recte filiofamilias mutuatur quis, non obſtante Macedoniano.*
12 *Quomodo reconcilietur mutuum.*
13 *Vtilitates dominii ex mutuo translationis.*

1 SI † datur, inquit Varro *4. de ling. Lati.* quod redditur mutuum eſt, quod Siculi μοῖτον: ita ſcribit Sophron, μοῖτον ἀντίπμον: & munus, quod mutuo animo qui ſunt, dant, officii cauſſa. Et ſic Heſychius, μοῖτον, ἀντίπμον παροιμία Σικελοῖς, ἡ γὰρ χάρις μοῖτος. Mutuum quaſi meum, quia mihi reddendum: & tuum, quia eo vtaris: vel, quod de meo tuum fiat dum datur, *§. 1. quib. mo. re contra. obliga. l. 2. §. appellata, de reb. credi. in P. l. 1. §. re contrahitur, de act. in P.* Mutuum re contrahitur, *dictis proxime iurib. & in le. certi condictio. 9. §. quoniam igitur, de reb. cred. P.* Mutuum itaque eſt contractus initus re, & de rebus quæ pondere, numero vel menſura conſtant, ea lege gratis & libere traditis, vt accipientis fiant, & vt in eadem ſpecie, eadem bonitate & modo aliquando reſtituantur. In qua finitione verba contractus, & quod re initus, pro genere: reliqua diſcernunt contractum hunc a reliquis re initis, & pro differentiis ſunt. Nam quod gratis fiat, a locatione, quæ conſenſu & mercede interueniente celebratur, *l. 1. loc. 1.* ſecernitur, & cum eadem res in indiuiduo impleta locatione reſtituatur. Et in pondere, numero & menſura diſtinguitur ab aliis modis crediti & debiti, in quibus & ſine rei interuentu debitum conſtituitur, *l. 2. §. creditum, & l. 3. §. 1. de reb. cred. P. §. quib. mod. re contrah. obl.* & ſine illis definitionibus certitudinis. Porro quod dicimus in eadem ſpecie reddi mutuum, excludit commodatum, quo reſtituitur in eodem indiuiduo idem corpus, *l. 2. de reb. cred. P. §. item, cui res, quibus mo. re contra. obl. l. 1. §. is quoque, in 1. de actio. P.* nec fit res commodata commodantis, quemadmodum mutuum accipientis: quia commodato non transfertur dominium, *l. nemo commod. in P.* Itaque illud proprium mutui eſt, vt nuda pactione conſtitui non poſſit, ſed vel re interueniente & tradita, *Aphric. in l. qui negotia, 34. mandat. P.* vel interueniente ſti-
2 pulatione de re tradita, *l. ſi ex pretio. C. ſi cert. pet.* ¶ Ex † Odofredo, *in l. quamuis. C. ſi cert. pet.* Paulo Caſtrenſi, *conſ. 186. volum. 1. Ioanne Petro de Ferrariis in practic. tit. de forma libelli pro act. hypothecaria, in verbo mutuo, & ex cauſſa mutui, & quot modis mutuum accipiatur. Bal. ad rub. ſi cert. pet. tradit & Alex. in l. ſi ita ſtipulatus, §. Chryſogonus de verb. obl. P. Angelo ad tit. quib. mod. re contrah. obl.* & aliis tamen quatuor ſpecies mutui colligi poſſunt, ex quatuor modis quibus contrahi vel conſtitui dicunt: naturale, ciuile, naturale & ciuile ſimul, & ex fictione iuris. Naturaliter tantum re contrahitur, interueniente cum conſenſu re conſtante, aut numero, aut pondere, aut menſura: ſine ſtipulatione de reddendo in eadem quantitate, & qualitate ſeu bonitate, pondere, & numero, & menſura: nam ex natura contractus illa veniunt in reſtitutionem, *l. cum quid, & l. 2. §. mutui, de reb. credit. in P. le. ſi quis, nec cauſſam, eod. §. 1. quib. mod. toll. obliga.*

3 ¶ Ciuile † mutuum, quod per ſtipulationem, quæ ciuilis eſt, *§. de conſtituta. de actio.* cautionem habet de reſtituendo in eadem bonitate, quantitate & qualitate. Quia, inquit Paulus Caſtrenſis *dicto conſil. 186. volum. 1. facit, l. 2. C. ſi cert. peta.* ex numeratione tunc non naſcitur actio, ſed ex ſtipulatione quæ præceſſerit eam, vel ſecuta fuerit, *l. ſi ita, 5. §. fi. cum l. ſequen. de nouat. P. l. ſi ita ſtipulatus. §. Chryſogonus, de verb. oblig.* Et numeratio tunc potius implere ſtipulationem, quam parere actionem videtur: & proinde ab ea non fit denominatio. De Ferrariis *in formula libelli pro actione hypthecaria, in verbo mutuo.* ciuile mutuum eſſe ait, quod per ſimplicem tantum oris confeſſionem contrahitur, puta, cum dicitur talis confeſſus fuit ſe habuiſſe & recepiſſe centum mutuo. Et talis modus, inquit, contrahendi eſt in communi ſtylo & vſu, de quo iura loquuntur in literarum obligatione, *le. 1. & 3. de non nume. pecunia. C. §. 1. de litera. obligat. nos de hac literarum obligatione infra, ſuo loco, Deo fauente late.* Verum hic non agitur vt ex mutuo, ſed ex literarum obligatione, *l. 2. ibi: verbis autem credimus, ſi cert. pet. in P.* Quare hanc tertiam mutui ſpeciem, ex literarum obligatione, conſtituimus ciuilem, vt ſuperiorem. Quarta autem eſt naturalis, in qua tamen cooperatur iuris ciuilis fictio: quando per iuris fictionem quippiam mutuo datur, quod fit de meo tuum, perinde ac ſi naturaliter ita fieret, vt in caſibus *leg. ſingularia, & leg. rogaſti, de reb. creditis in Pandectis.*

¶ Ex quibus † vtiliter colligitur, vt ſi quando tabellio ſeu nota- 4
rius, qui mutui inſtrumentum fecit, in eo ſcripſerit, quod Titius, puta, confeſſus ſit ſe centum mutuo accepiſſe, teſtes autem in inſtrumento ſubſcripti negent pecuniam fuiſſe numeratam, vel vllam interueniſſe, inſtrumentum ideo falſum non eſſe: quia inſtrumentum ſit de mutuo ciuili, teſtes autem teſtentur de naturali: ideo diuerſi ab inſtrumento, non autem contrarii, *De Ferrariis vbi ſup. notan docto. in l. ſingularia, de reb. cred. P.* Addit Paulus Caſtrenſis, *dicto conſil. 186. numer. 5. volum. 1.* ex diſputatione Iacobi Butrigarii, illud verum eſſe, quamuis in inſtrumento apponatur verbum, numerauit. Quia verbum illud poteſt intelligi de ficta numeratione, quæ fit alicuius dati in mutuum. Et ita, ſi notarius atteſtetur numerationem factam fuiſſe, quamuis teſtes præſentes negent vllam factam, ideo non reprobatur inſtrumentum, tamquam falſum: quia poſſit intelligi de ficto ſeu ciuili, non naturali mutuo. Nec probat hoc eſſe, quod aliquando contingit abeſſe, *l. non hac, C. vnde cognat. l. neque natales, de probatio.* Ponderanda quoque illa verba, confeſſus eſt ſe recepiſſe, quæ ſunt præteriti temporis, vt præſumatur potius præceſſiſſe numerationem, quam præſentem fuiſſe, *l. Aurelius. §. Titio Seio. de liber. lega. P.* Quamuis in contraria ſententia ſit Bartolus *in l. ſi ita ſtipulatus, §. Chryſogonus, de verbo. obligat. & in l. certi condictio*, ratus verba dubia referenda eſſe ad tempus inſtrumenti, quādo actus eſt eius naturæ, vt ea, de quibus meminit, poſſint interuenire. Putarem autem ego hæc poſſe facile decidi, inſpectis & perpenſis ad amuſſim verbis inſtrumenti, de quo agitur, & ex his quæ geruntur, num fraus vlla poſſit ex ſimulatione numerationis præſumi, vt in locis, in quibus redhibitio gentilitia locum habet, vel de vſuris vetitis quæritur, adhibitis aliis rerum, perſonarum & geſtorum circumſtantiis. ¶ Quia † & hæc in mutuo 5
conſiderari, vt in aliis, decet. Et primo, res pro materia ex qua fit mutuum, quæ idonea erit ad formam ſuſcipiendam: dummodo res ſint eiuſmodi, quæ in commercio hominum ſint, vt in rebus generaliter in conuentionibus conſiderandis monuimus, *libr. ſuperiore, c. 4.* Deinceps quæ pondere, numero aut menſura menſurari poſſint, *l. 1. de condicti. tritic. in P. cum ſimilibus.*

¶ In perſonis, † a quibus mutuum dari, & quibus mutuari 6
poſſimus, perpendendum. Nam debent eſſe qui dant, domini rerum: alioquin mutuum non eſſet de meo tuum, *l. 2. §. appellata, de rebus cred. l. in nauem Sauferii, 34. loca. P.* ſed de alieno, quod nec qui dominus non eſt, in alium transferre poteſt, *l. non videtur, 128. & l. nemo plus iuris, 54. l. id quod noſtrum de reg. iur. l. fi. de cond. cauſſ. dat in 1 l. fi. & tot. tit. de reb. alien. non alien. C. l. mater, C. de rei vind.* niſi nomine eius mutuet cuius ſunt, *l. certi condictio, §. ſi nummos meos tuo nomine, de reb. cred. P. l. ſingularia, & l. 2. §. pen. eo. P.* Quare nec fur, quas furatus eſt pecunias, mutuo dare poteſt, *leg. nam etſi fur. 12. de reb. cred. P.* Et de communi mutuo dans, non poteſt conſtituere mutuum, niſi in ſua parte, *leg. ſi ſocius propriam pecuniam, 16. de rebus credit. dicta l. nam etſi fur, §. fina.* ſiue communes nummos dicas pro indiuiſo: ſiue ratione quantitatis. *Paulus in l. ſi is cui nummos, 94. de ſolut. lib. 46. P. titul. 3.* Atque exſtantibus pecuniis alienis penes eos, qui acceperunt a non dominis, vindicari a dominis poſſunt ab eis, daturque pro con-

ſumtis vtilis actio, *leg. ex facto 53. §. plane ſi ex re pupilli, de pecul. lib.*
*15. tit. 1.* Et qui alienas pecunias ſuo nomine dat mutuo, accipien-
tem ex mutuo ſibi non obligat, quandiu illæ exſtant. quam-
quam, ſi conſumtæ ſunt reconcilietur mutuum, & condictione
a numerante repeti poſſint, *l. ſi a furioſo, & leg. nam etſi fur §. 1. de*
*reb. cred. l. ſi a furioſo, §. fi. de act.* Et tunc inſpicimus, non vnde ori-
ginem pecunia habuerit, ſed quod quis quaſi propriam nume-
rauerit pecuniam, *l. non vnde originem, C. ſi cert. petatur*, tuncque
maxime quæritur numeranti actio, ſi mutuum ſit cum ſtipulati-
one ſibi reddendi contractum, *l. 2. C. ſi certum peta.* Sic per ſe, non
omnis numeratio mutuum recte conſtituit, *l. non omnis, de reb.*
*cred. P.* & proinde poterit conſtitui hæc regula, Vt non niſi qui
alienare rem poſſit, mutuum dare poſſit ſuo nomine. Quare
nec filiusfamilias, nec ſeruus, nomine ſuo dare poſſunt, *l. 2. cre-*
*ditum, verſi. in mutui datione, de rebus cred. in P.* & ſi dent extra
cauſſam peculii, condictio domino vel patri competit, *l. rogaſti,*
*§. fi. eod.* Neque ſeruo, ſine voluntate domini, extra peculium
ſolui ex mutuo debitum poteſt, *l. eius qui in prouincia, ſi cert. pet.*
*in P.* Dico autem in cauſſa peculii, mutuam pecuniam a filiofa-
milias dari poſſe, vt a ſeruo qui peculiarem cauſſam tractat, *d. l.*
*rogaſti, §. fin.* dummodo alteri filiofamilias non mutuauerit: nam
tunc condicere pater poterit: quia non videtur filiofamil. pecu-
lii adminiſtrationem conceſſiſſe, vt perderet, *Paul. in l. ſi filiusfa-*
*mil. 4. ad ſenat. Macedo. lib. 4. P. tit. 6. ſic ibi Accurſ. in verbo credide-*
*rit*, aliis autem mutuare poſſe, non dubito, quia mutuare non
eſt tunc perdere, ſicuti in mutuo filiofamilias facto, cuius non
eſt repetitio *l. 1. ad ſenat Macedo. in P.* Non mutuat autem furio-
ſus, etiam paterfamil. *l. ſi a furioſo, de reb. cred. P.* Quia conſenſu
deſtituitur, *l. in negotiis, & l. furioſi, de reg. iur. P.* quem conuentio-
nes omnes deſiderant, *l. 1. §. penult. de pact. P.* & potiſſimum nu-
meratio in mutuo exigit, vt eo nomine fiat, alias mutuum non
ſequitur, *l. non omnis, de reb cred. P.* Furioſus autem non poteſt
dici animum habere deſinendi poſſidere, vt transferre in alium
velit, *vt l. ſi is qui animo, de acquir. poſſeſſio.* abſentis, & quieſcentis,
& non intelligentis perſonam referens, *l. 2. furioſis, de codic. in P.*
7 *cum ſimi. ibi a glo. not. in ver. abſentis.* ¶ Adminiſtratores † Reipu-
blicæ vel rectores Prouinciarum, iure Romano, ſi temporales
ſunt, mutuum dare non poſſunt ſuo nomine, neque per inter-
poſitas *Mod. l. principal. 33. Paul. l. præſid. prouinciæ, 34. de reb. cred.*
*P. leg. 3. C. ſi cert. pet.* perſonas: ſi perpetui ſunt, poſſunt: vel etiam
temporales, aliis quam ſibi ſubditis mutuare poſſunt. Et vtriq;,
tam temporales, quam perpetui, mutuo accipere poſſunt, prout
negotiis illorum expediet, dummodo commercium inde fœne-
ratoris non exerceant. *d. l. præſidis, in §. fin. & in l. eos C. de vſur. & l.*
*quamuis, ſi cert. pet. C.* turpe enim viſum iſtis hominibus in digni-
tate conſtitutis, commercia exercere, *l. 3. de commer. & merca. C.*
& iniuſtum rectoribus & adminiſtratoribus publicis, cum ſub-
ditis contrahere, ob metum quem præſumit lex poſſe illis infer-
ri, *l. non licet, l. qui officii, de contrahen. emtio. l. 1. de contrac. iud. C. l. 1.*
*ſi quacunq; prædit. poteſt. &c. C. l. 1. ſi præſes prouinc. vel ad eum perti-*
*nentes, &c. C. l. ſcriniarios, de numera. & actuariis. lib. 12. C.* Idque
præcipue in contractibus magni momenti. & qui quæſtus cauſ-
ſa, & qui cum damno maximo contrahentium cum illis, locum
habent: non autem in his quę ad vitæ communis vſum & neceſ-
ſitatem magiſtratuum & adminiſtratorum reipublicæ perti-
nent, *notat gloſſ. in l. milites, & in l. fin. C. de loca facit l. qui ſtipendia, C.*
*de procura. & l. filiusfamilias, §. veterani eo. ti. in P.* Et in Gallia libe-
ri magiſtratibus contractus ſunt: quia perpetui. Si tamen ſuſpi-
cio ſordium eſt & metus, recte ex qualitate perſonarum, ad re-
ſciſſionem contractuum, & vindictam eorum, qui abutuntur
officio ſub auctoritate regia procedi poſſe arbitror, imo expedit
durius in eos animaduerti, qui prætextu auctoritatis regis ſub-
ditos deuorant, & eorum res populantur, *l. meminerint, vnde vi,*
*C. l. 3. § fin. de eo quod met. cauſſa, P. l. quemadmodum, §. magiſtratus,*
*ad l. Aquil. in P. tit. de concuſſi. P.* Duplex enim in illis crimen, &
quod circumſcribant ſubditos, & quod auctorem & veluti de-
fenſorem obiiciant principem, ob cuius maieſtatem plurimum
illis defertur. Porro adminiſtratores ciuitatum. & municipio-
rum, & ipſa municipia, ex mutuo accepto obligantur, mutuoq;
dare poſſunt: dummodo ad vtilitatem municipiorum fiat mu-
tuum, eoque modo res eorum contractui ſubiiciuntur, *l. ciuitas,*
*27. de reb. cred. in P. l. ſi is, de pignor. P. l. fin. de vendend. reb. ciuita. lib.*
8 *11. C.* ¶ Filiisfamilias † autem mutuare nemo regulariter poteſt,
prohibente ſenatuſconſulto Macedoniano quod etiam inhibet
repetitionem, aduerſus factum ſui iuris: viſaque eſt pecuniæ da-
tio pernitioſa petentibus, occaſioque delinquendi, qua filiusfa-
milias ante tempus patrios inquireret in annos, vt poſſet ab hoc
mutuo citius ſe expedire, *l. 1. ad ſenatuſconſ. Macedon. libr. 14. P.*
*tit. 6.* Soluſque hic contractus mutui cum filiofamilias ne fiat,
prohibitus, ceteris fere omnibus cum eodem permiſſis, *l. 4. § is*
*autem ſolus, ad ſenatuſconſul. Macedo. P. § illud proprie, quod cum eo*
*qui in aliena poteſt. &c.* Senatuſconſultum hoc latum tempore
Veſpaſiani, refert Suetonius *in Veſpaſia. cap. 11.* Quod quidem e-
am mutui ſpeciem tantum improbaſſe videtur, quæ in pecunia
fit filiofamil. non autem alterius rei, *l. ſed Iulianus ait, §. mutui da-*
*tionem, ad Macedo. P.* niſi aliæ res in fraudem eius, pro pecunia,
vel vnde pecunia conflari poſſit, quæ in mutuum venirent, datæ
eſſent, *d. §. mutui dationem, & l quia quod vulgo, eo. tit.* Sic placuit
ſenatui Pariſienſi, irritas eſſe venditiones mercatorum, quibus
filiisfamilias merces ſine conſenſu patrum: vel minoribus, ſine
auctoritate tutorum vel curatorum vendunt, & eos obligant, vt
certo præſcripto tempore ſoluant, nempe quod iſtæ ſimulatæ
venditiones mutuo proximiores ſint: ideo vetauit mercium fie-
ri illis mutuum, imminente & ſtatuta in pœnam mercium amiſ-
ſione. Cautum autem id vigilia natiuitatis dominicæ 152. *Papo,*
*lib. 11. Areſto. titu. 4. areſto 1. & 2.*

¶ Porrigit † Philippus Cæſar ſenatuſconſulto ad nepotes & 9
pronepotes, *l. filius tuus, 6. ad Macedonian. lib. 4. C. tit. 28.* vt nec
pater teneatur de peculio, nec filiusfamilias poſſit huic ſenatuſ-
conſulto renuntiare: quia non tam in eius fauorem, quantum in
odium creditorum latum eſt, *glo. in l. fin. ad SC. Macedo.* Vnde a-
lia ratione, quam qua mulieri permiſſum ſit Velleiano in ſui
tantum fauorem lato renuntiare, *in l fin. § penul. ad ſenatuſ. Velle-*
*ia. l. fin. & authen. matri. quan. mul. offic. tutoris fungi pot. C.* hæc fa-
cultas filiofamilias adimitur, nec vlla dignitas filiumfamilias ab
hac eximit exceptione, *leg. 1. §. 1. ad Maced. P.* imo & tranſit in
heredem filiifamilias & heredem patris, vt eam opponere tuto
creditori poſſint, *l. ſed Iulianus. 9. §. quanquam autem, ad Macedo.*
*in P.* ¶ Plautus † *in Pſeudolo*, meminit cuiuſdam legis, quam qui 10
nauicenariam nominat, quæ non ſinit pecuniam a daniſta mu-
tuo adoleſcentibus dari. Sic enim loquitur apud eum adole-
ſcens: Perii, an non tum lex me perdidit quinauicenaria, metu-
unt credere omnes. Cornelius Tacitus Annal. libro vndecimo,
legem latam a Claudio Cæſare ſimilem SC. Macedoniano no-
tat, dum ait de eo: *Et lege lata ſæuitiam creditorum coercuit, ne in*
*mortem parentum pecunias filiisfamilias fœnori darent.* Narrat Plu-
tarchus *in Peric.* Xantippum filium Periclis, patris nomine ar-
gentum accepiſſe ab vno ex eius amicis, quo repetente, tantum
abfuit, vt pater ſolueret, vt eo etiam nomine creditori iudicium
dictaret, &, vt opinor, quaſi filio corrupto, *l. eos, C. de fur. l. ſi quis,*
*& l. 12. ad legem Fauiam de plagiar. lib. 9. C. ti. 20. l. ſi liberum 10. quod*
*cum eo qui in alien. poteſt. eſt neg. geſt. eſſ. dic. lib. 4. C. tit. 26.* ſicuti qui
a filiofamilias, vel ſeruo ſciens prudenſque emit, ſe furti obliga-
re videtur, *l. fin. C. ad Maced.*

¶ Excipiuntur † tamen caſus, in quibus mutuum factum fi- 11
liofamilias valet, nec locum habet ſenatuſconſultum. Primus ſi
filiusfamilias miles ſit, *l. 1. §. fin. ad Maced. P.* vel ſi caſtrenſe pecu-
lium habeat, *l. 3. de caſtrenſi pecul. l. fin. §. fin. ad Macedonia. C.* vide-
licet vſque ad quantitatem peculii: in quo pro patrefamilias ha-
betur, *l. ſed & Iulianus, 9. §. quod dicitur ad Maced. P. l. Macedoni-*
*an. C. eo.* Secundus ſi ſtudiorum cauſſa, filiofamilias mutua mo-
derata pecunia detur, *l. 1. & 2. C. ad Maced.* Tertius ſi filiusfami-
lias ſe patremfamilias eſſe, mutuum accipiendo, mentitus ſit, *l.*
*auxilium, de min. 2 & 3. ſi min. ſe mai. dix. C. leg. 2. ad ſenat. Velleia. in*
*P.* iura enim deceptis, non decipientibus ſubueniunt, *l. 2. C. ad*
*Macedo. l. patremfamilias, eo. P.* Quartus ſi is publice pro patre-
fam. haberetur, *l. 1. C. de teſtamen. l. Barbatius, de offi. præſid.* com-
munis enim error, ius facit, *leg. 2 & 4. ad Maced. C.* Quintus ſi vo-
luntate patris contraxit, *d. l. 2. ad Maced. C. l. ſed Iulianus, 9. eod. P.*
Sextus ſi pro negotiis patris accepit, *d. l. 2. C. ad Maced.* Septimus
ſi maior, & ſui iuris factus, vel nouarit, vel alio modo agnouerit
debitum, *l. 3. C. ad Macedonia.* Item octauus tunc ſenatuſconſul-
tum locum habet, ſi tunc obligatio, cum mutuum datur, naſci-
tur: non autem, quando aliud debitum a filiofamilias in mutu-
um conuerſum eſt, veluti quod ex pretio emtionis deberet *l. fin.*
*ad Macedonia. C.* Nonus ſi & mutuum filiofamilias factum pa-
ter ratum habeat: reconciliatur enim mutuum, *l. 2. §. appellata. de*
*reb. cred. P.* Ex ſuperioribus, ex re, & ex perſonis, forma mutui &
negotium quod geritur apparebit num ſit ſecundum leges &
regulas mutui, & ſi non ſit, quemadmodum ad formam reduci
poſſit,

poſſit, hoc eſt, vt loquar cum interpretibus, quomodo reconciliari poſſit. Deficit a formula mutuũ, ſi res non ſit idonea, l. 1. P. §. pen. de pac. puta, quia alieni numi numerantur, ratione perſonæ, ſi illa non conſentiat. §. nunc ad monendi, quibus alien. licet, vel non. ſi a furioſo, l. ſi a furioſo, in fin. pupillove fiet, l. rogaſti. in fin. l. filiusfamilias, ad Macedon. ſi filiofamilias detur, vt ante diximus. At in mutuum, quod inutiliter datum eſt, poſtea venit, ſeu illud reconciliatur, id eſt, fit mutuum quod non erat, pluribus modis, veluti primo: ſi conſumatur ab accipiente mutuata pecunia aliena, l. ſi alieni numi, 78. de ſolut. in P. conſumta porro dicitur, vel cum expenſa eſt, vel cum aliis mixta, l. vnic. de vſucap. transfert. C. §. 1. de vſura. Secundo vſucapione, ſi non conſumta pecunia, triennio fuerit penes accipientem, l. 3. de vſucap. in P. quia & per vſucapionem transfertur dominium, l. Proculus, de iure do. Eodemque modo reconciliantur, ſeu vires capiunt dos, l. indebiti, §. ſed etſi numi, de condit. indeb. indebitum, l. ſi alienam, de donat. cauſ. mort. donatio cauſſa mortis, l. ſi furi, C. de pign. l. quamuis. ſi cert. pet. C. Tertio vires recipit mutuum inutile, per ſtipulationem quæ fit ab eo qui dat alienos nummos & tibi reddi ſtipulatur, l. a Titio, de fur. in P. Quarto ex repudiatione iuris eius, qui impedire mutuum poteſt, vires accipit. Vt ecce, te inſtituto herede, teſtator mihi legauit pecuniam quam habebat in arca, huius pecuniæ a morte teſtatoris in me tranſit dominium. Si tu mutuo des interim illam pecuniam, mutuum nõ eſt, vtpote rei alienæ, meæ videlicet: ſi tamen repudiem legatum, cum ad te pertineat, conualeſcit mutuum & retrotrahitur, vt cenſeatur tua fuiſſe pecunia cum eam numeraſti, l. omnia 7. & l. proinde, de reb. cred. P.

12 ¶ Idipſum † quinto cõſidera in conditionis euentu: vt ſi mutuas pecuniam ſub ea conditione, ſi nauis ex Aſia venerit, pendente conditione quidem mutuum non eſt, & repeti ſolutum poteſt, & pendet, at ſi conditio aduenerit, vires accipit, dict. l. omnia, & l. ſeq. de reb. cred. Reconciliatur & ſexto, tempore, vt poſt biennium in literarum obligatione, l. in contractibus, de non numer. pecun. C. Septimo debiti agnitione, vt ſi tibi ſub ſpe numerationis literis ſignificauerim: me fateri in centum tibi eſſe obligatum, ſi quamuis non acceperim, poſtea agnouerim debitum, & incipiam illud exſoluere, reconciliatur debitum, l. cum fidem 9. de non numer. pecun. & ceſſat exceptio non numeratæ pecuniæ Odofredus, in l. quamuis, C. ſi certum peta facit l. 1. §. 1. & l. toties 6. de pollicita P. nam qui indebitum ſcienter ſoluit, donare videtur, l. Campanus, de operis lib. Et filiusfamilias, paterfamil. ſui iuris factus, qui mutuum dum eſſet filiusfam. factum agnouit & partem ſoluit, obiicere nõ poteſt ſenatuſconſultum Macedonian. l. item ſi filiusfamilias 9. ad ſenatuſconſul. Maced. P. Et pro parte, nemo voluntatem approbans eandem, & ex eadem cauſſa reprobare poteſt, exem. in l. 1. de acquir. heredit. l. 1. C. de fideiuſſor. l. parentibus, de inofficio. teſtamen. §. non autem. de hered. & falcid. Octauo reconciliatur inficiatione propriæ ſcripturæ, qua mutuum continetur, authen. contra qui propriam, C. de non numerat. pecunia.

13 ¶ Vtilitas † vna ſingularis, ex illa translatione dominii, quæ fit rerum mutuo datarum in accipiente, eſt vt in eum qui rogauit periculum rei tanquam in dominũ tranſeat, & poſſit ei condici, l. rogaſti, & Vlpianus. leg. ſi quis nec cauſſam 4. & l. certi condictio §. fin. de rebus credi. in P. §. item is cui, quibus modis re contrah. obligatio. quo pertinet illa regula, incendium æris alieni non liberare debitorem, l. incendium, ſi certũ peta. C. quod de alio quoque caſu fortuito quam incendii intelligi par eſt, §. item is cui res, quibus mod. toll obl. l. 1. § is quoque, cui. de action. P. Quia ſpecies vel genus id eſt, quod debetur in ſpecie vel quantitate, vel genere, perire non poteſt, l. in ratione, in 2. §. diligenter, ad l. Falcid. P. Porro in hac ſpecie contractus, in mutuo videlicet, cauendum eſt, ne quis ſub prætextu beneficii accepti lædatur, cum interſit noſtra beneficio non decipi, ſed iuuari, l. in commodato, §. ſicut commoda. P. Videtur enim mutuum proximum eſſe donationi & munificentiæ, & pietati. Quod a Deo iuſſum etiam eſt iis qui alioquin parum proximorum egenorum miſerentur, multis abundantes. Si vnus, inquit Moſes, Deuter. 15. ex fratribus qui morantur intra portas ciuitatis tuæ, in terra quam dominus Deus tuus daturus eſt tibi, ad paupertatem venerit, non obturabis cor tuum, nec contrahes manũ, ſed aperies eam pauperi, & dabis mutuũ quo egere eũ perſpexeris. Et rurſum Deus ipſe, Matth. 5. qui petit a te, da ei, & volenti mutuari a te, ne auertaris. Lege antiqua, quam renouauit Iulius Cæſar conſul, ſtatutum, ne quis in auro vel argento poſſideret plus pecuniæ quam ſexaginta ſeſtertia, vt indigentibus aliis mutuo darent, Dion Caſſius, libr. 41. hiſtor. Roma.

## De Fœnore ſeu de Vſurario mutuo, & de Vſuris. Cap. 3.

Lib. 22. P. tit. 1. Lib. 4. C. tit. 32.
Lib. 5. Decretal. tit. 19. Lib. 5. Sex. tit. 5. Lib. 4. Clem. tit. 6.
De nauticis vſuris, in auth. coll. 8. tit. 6.
De nautico fænore. Lib. 21. P. tit. 2. Lib. 4. C. tit. 33. Nouella 110. & 130.

1 *Mutui & fœnoris differentia.*
*Fœnerare quid. eod.*
2 *Vſura quid.*
3 *Vſus cauſſa, & vſura triplex.*
4 *Vſuræ propter moram licitæ.*
5 *Vſurarum finitio.*
*Diuiſio. eod.*
6. 7. 8. 9. 10. & ſequent. *Vſura omni iure prohibita, diuino, & humano.*
6 *Lepores ſuperfœtant.*
*Vſura mordet, edit facultates, trucidat. eod.*
7 *Fœnerandi vſus non eſt diutinus.*
8 *Pecunia pecuniam natura parere non poteſt.*
9 *Vſuras mutuum natura reſpuit.*
10 *Vſuræ diuino iure prohibitæ.*
*Vſura & mentalis a Deo prohibita. eod.*
11 *Vſuræ prohibitæ iure pontificio.*
12 *Conciliis ſacris.*
*Et pœnæ vſurariorum. eod.*
*Concilia Elibertinum, Nicenum, Lateranenſe.*
13 *Lugdunenſe, quando fuerunt prohibita.*
13 *Vſurarii manifeſti qui dicantur, & quomodo tales eſſe probentur.*
14 *Vſurarium contractum quæ arguant.*
15 *Vſuræ lege Indorum, Platonis, Oxei, Chiorum, Byzantiorũ, Cæſaris, prohibitæ. Tributum ex vſuris. eod.*
16 *Vſuræ Gallico iure prohibitæ cum pœna.*
*Vſuræ nundinales Gallica. eod.*
17 *Fœneratores magis, quam fures puniti.*
18 *Fœnerandi licentia omnino prohibita, & quando alias coercita.*
19 *Vſuræ iure ciuili Romano ſcripto prohibitæ.*
20 *Vſuræ permiſſæ, nec tamen ideo approbatæ.*
21 *Vſurarum permiſſio conſiderat res, perſonas, taxationem.*
*Vſuræ ex quibus rebus capi poſſunt. eod.*
22 *Fœnerari quæ perſonæ poſſint.*
23 *Iudæi vſuras non debent accipere a Chriſtianis.*
24 *Vſuras permiſſas taxatio legitima facit.*
25 *Vſuræ ex nudo pacto non debentur.*
26 *Vſurarum ſolutio non probat illas eſſe debitas.*
*Vſurarum amiſſa ſolutio arguit remiſſionem. eod.*
27 *Vſuræ in ſortem conuerti nequeunt.*
28. & 31. & 44. *Vſuræ centeſimæ quæ.*
29 *Vſuræ apud Romanos menſtruæ & ſingulis menſibus ſolutæ.*
*Calendarium quid, & quare, eod.*
30 *Calendæ quare primi dies menſium dicuntur.*
*Luna noua olim initium menſis faciebat Romanis, eod.*
31 *Vſuræ aſſalis, & libra.*
32 *As quid, & in quot vncias vel partes diuidatur.*
33 *Vnciales vſuræ quæ.*
*Vſuræ vnciales. eod.*
34 *Sextantes.*
35 *Quadrantes.*
36 *Trientales.*
37 *Quincunces.*
38 *Semiſſes.*
29 *Septunces.*
40 *Beſſes.*
41 *Dodrantes.*
42 *Dextantes.*
43 *Deunces.*
36 *Vſuras trientales exercuerunt Antonius Alexãder, Seuerus, &c.*
37 *Penſio legitima fundi, quæ intra viginti annos æquat valorem fundi.*
44. & 46. *Traiectitiæ & nauticæ vſuræ.*
45 *Vſuræ maiores, minores, mediæ quæ.*

46 *Vſura centeſima quibus permiſſa fuerunt.*
47 *Vſura nautica, traiectitia marina quid.*
*Periculum pecuniæ traiectitiæ ad quem pertineat. eodem.*
49 *Nautica vſura duplex.*
*Eteroplon & ampheteroplon quid. eod.*
47. & 49. *Vſuræ nauticæ improbatæ.*
49 *Nicephorus Orientis Imperator Chriſtianis inimicus.*
50 *Centeſimæ vſuræ lex renouata ſæpe.*
*In quibus caſibus permiſſæ. eod.*
51 *Periculum ſuſcipere maris temerarium.*

1 MVtuum † proprie ſine vſuris eſt, at fœnus cum vſuris eſt: vt notauit Philippus Beroaldus, *in 1. Apuleii de Aſino aureo.* ex Plautino amatore dicente, *Apud Plautum, in Aſinaria.* Nam ſi mutuo non potero, certum eſt ſumam fœnore. Sic etiam diſtinguere videtur Cicero, *de amicit.* vt enim, inquit, benefici liberaleſque ſumus, non vt exigamus gratiam: neque enim beneficium fœneramur, ſed natura propenſi ad beneficium ſumus. Et Terentius in Phormione, fœneratum iſthuc hoc beneficium tibi pulcre dices. Et aliquando fœnerare eſt idem, quod mutuo dare: vt apud Plinium, *lib. 2. cap. 6.* Sol fœnerat lumen ſuum ceteris ſideribus. Apud Græcos eadem fere obſeruatio: nam vt notat Vlpianus apud Demoſthenem *in commentar. ad oratione͂ Demoſt. de falſa legat.* τὸ γὰρ δανείζοντο δοκεῖ γὰρ ὑβειςικὸν εἶναι, ἐπειδὴ ἐχαλίζετο ὁ τόκος, ὑπέμνησε μὲν ἐξ ἀρχῆς χρηςῷ γὰρ ὀνόματι, τὸ ἔχρησεν, ἐκφεύγει τὸ ἄτοπον, id eſt, ad verbum ἐδανείζοντο, id eſt, fœnore petebant, contumelioſum eſſe videtur. Cũ vſura male audiret, initio quidem eius rei commonefecit, ſed cõmodo verbo, τὸ ἔχρησεν, mutuarant vitat offenſionem.

2 ¶ Vſura † dicitur quicquid præter ſortem principale͂ ob eandem capitur, ſiue pecunia ſit, ſiue gratia, ſiue aliud quidquid. *can. fin. 14. q. 3. can. putant, eod.* Vſura dicitur ratione vſus, vſus ipſe, apud Latinitatis emendatioris auctores: & ſæpe pro commodo, quod ex vſu accipitur, *Varro. 4. de ling. Latin. circa finem.* vt & hic nũc accipietur: & pro fœnore pecuniæ, vel pro eo quod ratione vſus pecuniæ accedit. Accedit autem domino pecuniæ, præter pecuniam, & eius occaſione: vel lucrum ſine damno: vel ratione damni, quod ſentit & patitur ex vſu quem alius habet ſuæ pecuniæ vel rei: vel in pœnam, quod alius pecuniam ſuam, vel res ſuas ſe inuito retinet, vel ſe nolente vſum rerum ſuarum habet, *vt in l. 1. §. 1. de vſur. leg. qui negotia 34. manda. P.*

3 ¶ Hinc † capita tria vſurarum diuerſæ naturæ colliguntur: primum caput prohibitas vel odioſas habet vſuras, quando ſine damno lucrum ex vſu, quem alius habet ſuæ pecuniæ, conſequitur. Aliud caput pertinet ad id quod intereſt, quando quis propter vſum rerum ſuarum quem alius habet, damnum conſequitur, vel lucrum amittit, & pro eius reparatione aliquid conſequitur ex illo vſu & iſtud conſtituitur inter vſuras licitas, vt docuimus in capite de eo quod intereſt, libro ſuperiori. Tertium caput vſuras ad moram pertinentes, licitas quoque tractat, quando inuitis dominis interpellatus, vel moroſus alio modo, rerum vſum detinet.

4 ¶ Et eo † pertinet parœmia, vſuras non propter lucrum petentium ſed propter moram non ſoluentium infligi, *l. cum quidam, §. ſi pupillo, de vſur. in P.* Et ideo veniæ iſtæ dicuntur ex natura quorundam contractuum, *l. videamus, de vſur. P.* liciteque exiguntur, in pœnam contumaciæ, & vſurpationis rerum alienarum, contra iuris præceptum, ius ſuum cuique tribuendum. Et de iſtis, & de mora iam proprio capite ſuperiori quoque libro diximus.

5 ¶ Et ſupereſt, vt dicamus de vſuris quæ ratione tantum vſus penduntur, ſine damno. Illæ igitur vſurę ſunt, lucrum emergens ſine damno, *glo in l. 1. de ſenten. quæ pro eo quod inter. C.* ex vſu pecuniæ mutuo datę mutuanti accedens. Lucrum dicitur, deducto omni damno, & damnum deducto omni lucro *leg. Mutius pro ſocio, P.* Dicuntur autem vel terreſtres, vel nauticæ, *Budæus, lib. 1. de aſſe. & ex ſequentibus apparebit, & titul. de vſuris, & de nautico fœnore.*

6 ¶ Has vſuras † in ſumma, omnia iura diuina & humana, & boni mores reprobarunt, ad maius autem malum euitandum, aliquatenus permiſerunt: idque per ea quæ dicemus manifeſtum erit. Naturale ius ratioque naturalis, rerumque, nempe pecuniarum & contractus mutui natura, primũ illas abhorrent & reſpuunt & quale malum ſit vſura, ipſa ſeipſam, veluti ſorex indicio ſuo demonſtrat, ſeipſamque condemnat. Et apud Hebræos נשך morſus neſchec dicitur, corrodit enim & viuos deuorat debitores: vnde Alphonſus Hiſpaniarum rex fœneratores labores mortalium depaſcentes, harpyias dicebat, *Anton. Panorm. lib. 4. de dictis & factis Alphonſ. ca. 16. hoc ipſum, & Plutar. libr. non eſſe fœnerand.* & fœnus ipſum quaſi funus animæ, *Anton. Panor. libr. 3. de dict. & fact. Alphonſ. c. 34.* D. Ambroſius vſuram ab vſu dictam ait, quod vt veſtes vſu, ita vſuris patrimonia ſcindantur, *libr. 4. de Tobia, c. 13.* D. Baſilius in Pſalm. 14. ideo Græcis vſuram τόκον dici ait, quod ſupra fœcunditatem leporum, quos dicunt ſimul & vno tempore gignere, & ſuperfœtare agnoſcendo, etiam vſura nondum data, alteram gignat, & alteram ex altera, vſque ad infinitum: & inde dolores, vt parturientis, inferre debitoribus. Vocat hoc iniquitatem abſolute Dauid, & pro magno beneficio concedendo a Deo populo commemorat, quod ex vſuris & iniquitate eruet animas eorum, *Pſalm. 71.* Pleraque autem adfert quæ ad dolos & iniquitatem pertinent fœnerantium D. Ambroſius, quæ apud eundem legito, & de miſeriis debitorum, *lib. de Tobia, c. 4. & 6. & de miſeriis debitorum, lib. c. 7. & 8.* & apud Plutarchum proprio libro, *lib. non eſſe fœnerandum.* Nec improprie Cicero fœnore trucidari dixit, dum ſcribit *pro Cælio,* Parcat iuuentus pudicitiæ ſuę, ne ſpoliet alienam, ne effundat patrimonium, ne fœnore trucidetur, nec incurrat in alterius domum atque famã. Demoſthenes, οἱ δανειζόμενοι ῥαδίως ἐπὶ τοῖς μεγάλοις τόκοις μικρὸν δὲ πορήσαντες χρόνον ὕςερον καὶ τῶν ἀρχαίων ἀπέςησαν, id eſt, qui facile pecuniam magno fœnore ſumunt, illi pauliſper locupletati, poſt etiam patrimoniis euertuntur, *Demoſth. 1. Olynthiaca.* Plato reddens rationem, cur democratia tranſit in potentum dominatum, & contra, cum plures ſint mutationis cauſſæ, eas non dicit, ſed vnam ſolũ, quod prodigaliter viuentes vſuris confecti, pauperes efficiuntur, *Ariſtot. 5. Polit. ca. fin.* Ariſtophanes *in Nebulis,* vſuram etiam deſcribit pro fera, τοῦτο δ' ἐςὶ ὁ τόκος θηρίον, id eſt, nihil aliud vſura eſt, quam fera quædam. Paria putat D. Ambroſius gladio in hoſtes ſæuire, & vſuras extorquere, & quos occidere licet iis tantum fœnus extorquendum. *c. fi. 14. q. 4.*

¶ Sequitur † & plerumque eadem pœna & damnum fœnerato- 7
res, quibus debitores ſuos diuexarunt. Et vix vſus ipſius pecuniæ fœnerandi diutinus, vix continuus, ſed ſterilis eſt: quo ſubſecuto, intercidente ſæpe pecunia ad minimum minorum, vel aliorum patrimonia deducuntur, *l. lex quæ tutores, de adminiſt. tut. C.*
¶ Sed † & pro monſtro eſt, vt pecunia quæ ſterilis per ſe, 8
& ſine vſufructu eſt, & ciuili & naturali ratione, *l. 2. in prin. & §. 1. de vſufr. earum rer. quæ vſu conſum. §. conſtituitur, de vſufruct.* contra naturam generet, & proferat vtilitate͂ & fœtũ domino mutuanti, vt ait Plutarchus, *lib. de vitanda vſura,* ſiquidem fœnus dicimus, quaſi fœtum & partum, *Gellius lib. 12. c. 16.* vt Græci τόκον, cum tame͂ vſura quam ex pecunia percipimus, in fructu non ſit, *l. vſura, l. 121. de verb. ſign.* Pecunia inuenta, non ad pariendum, ſed ad pretium æſtimationemque faciendam, *leg. 1. de contrah. emt. P. c. eiiciens 88. diſtinct.*
¶ Aduerſatur † & tertio naturæ mu- 9
tui vſura in eo quod mutuum ad iuuandos egentes maxime inductum ſit & ex humanitatis officio, quo intereſt hominis hominem affici beneficio, *l. ſeruus ea lege. de ſeruis exportand. P.* ob cognationem quæ natura inter omnes homines eſt, *l. 3. de iuſt. & iur. P.* At nihil magis aduerſatur officio pietatis & amici, quam merces, *l. 1. manda. P.* Natura item & formula contractus mutui eſt, vt nec minus, nec plus quam datum eſt reſtituatur, & in eodem numero, pondere, & menſura, & in eade͂ bonitate, & quantitate, *l. certi condictio, de reb. cred. §. 1. quib. mod. re contraha. obligat.* Nec in eo caueri poſſet, vt ſi decem dem, vndecim vel amplius reddantur: vel ſi cautum ſit, non erunt in obligatione plura quam decem & quatenus tantum datum eſt, *in l. rogaſti & l. ſi tibi dedero, de reb. cred. P. l. ſi tibi decem millia, de pact. in P.* Proinde cum contra ſubſtantiam contractus adiecta varient contractum ipſum, *l. cum precario, de precar. in P. leg. vbi ita donatur, de donatione cauſſa mor. in P.* non erunt admittendæ vſurę in mutuo contra eius naturam, quandiu voluerimus mutuũ dici, alioquin degenerabit in locationem, quę ratione mercedis vſum rei concedit, *l. 1. loc.*

¶ Iure † diuino prohibitas eſſe vſuras, manifeſte docetur ex lege antiqui & noui ſacroſancti Teſtamenti: ſi pecuniam, inquit Deus, dederis populo meo, pauperi qui habitat tecum, non vrgebis eum quaſi exactor, nec vſuris opprimes, *Exod. c. 22.* & iterum nõ fœnerabis fratri tuo ad vſuram, *Deut. c. 23.* Et Dauid ait, non ingreſſurum tabernaculum Dei, qui pecuniam ad vſuram dederit, *Pſalm. 14.* Apud Ezechielem iuſtus dicitur victurus & non

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

non moriturus in æternum,& is quoque qui ad vſurá non com-
modauerit,nec amplius acceperit quam datum, *Ezech c.18.* erit.
Iubet Dominus noſter Ieſus Chriſtus, mutuũ dare, & nihil non
ſolum accipere,ſed nec ſperare, *D. Luc.c.6.* Vnde & mentalis
vſura,videlicet mutuare ea mente,vt plus inde ſperemus,quem-
admodum realis prohibita eſt,*can.conſuluit,de vſufr.gloſſ. & Pa-
norm.in c.cum in tua,de vſur.*

11 ¶ Iure † pontificio prohibitas eſſe iura expreſſa docent, *in ca.
1.c.conſuluit,ca.ſuper,eod.ca.debitores, de vſur.* & inibi hęreticus
declaratur, qui dixerit licitum eſſe exigere vſuras, *Clemen. 1.de v-
ſur.* damnationiſque æternæ pœna indicta exigentibus,*c.1.de v-
ſur.in ſext.Clem.1.§.ſi.eod.tit.ap.Clem.* Et vt remoueantur a pro-
motione ad ſacros ordines ſancitum, *ca.de Petro 47.diſtinct.* vt-
que iam promoti expellantur a clero & vſuras reddant, *ca. qui
accipit,& c.ſi quis oblitus,14.q.4.ca.ſi quis,47.diſt.*

12 ¶ Translatæ & in iuris pontificii corpus prohibitiones & pœ-
næ ſacrorum conciliorum,vt ex concilo Apoſtolorum, presby-
ter exigens vſuras,ſi non reſipiſcat, deponitur. *ca.epiſcopus 47.
diſtinct.* vt quod concilio Elibertino celebrato ſub Conſtantino
Magno, circa annum domini 336. ſub Iulio ſummo pontifice
coactis in Hiſpania nouem & decem Epiſcopis, *Iſidor.1.parte con-
ſil.* ſancitum eſt, clericum qui vſuras acciperet exauctorandum,
*ca.ſi quis clericorum, 47.diſtinct.* Prohibitæ item ſynodo Trulla-
na,*in vno Trulla. cap. 10.* quæ ſexta dicitur: in generali Nicena
prima, *ſynod.ca.17.* cui interfuerunt 118. Epiſcopi contra Arria-
nam ſectam maxime coacti, circa annum Domini noſtri Ieſu
Chriſti,trecenteſimo vigeſimo octauo, ſecundũ hiſtoriam Tri-
partitam,*lib.1.cap.8.* & Ruffinum,*lib.1.cap.6.* ſecundum alios an-
no trecenteſimo vigeſimo quarto, vel anno tricenteſimo vige-
ſimo ſexto,vt ſcribit Nicephorus Caliſtenſis,*libr.8.hiſtoriæ eccle-
ſiaſticæ cap.14.* ſub Cõſtantino Magno,& Syluestro ſummo pon-
tifice.Item circa annum Domini 1570. ſub Alexandro Senenſi
eius nominis ſummo pontifice concilium Lateranenſe ſubmo-
uit a communione ſacroſanctæ euchariſtiæ,& a ſepultura eccle-
ſiaſtica vſurarios publicos ni ſatisfacerent, *ca.3.de vſur.ca.quia
in omnibus eod.* quod confirmatum eſt Concilio Lugdunenſi, *ca.
1.& 2.de vſur.in ſext.* coacto anno Domini 1373. teſte Paulo Æ-
mylio lib.7. Ex canonibus Nicephori confeſſoris, vſuram acci-
pientibus non ſunt elargienda ſacramenta, nec cum perſeue-
rantibus in illis cibus ſumendus, *libr.2.iuris Orientalis, in cauſſa
Nicephori confeſſor.*

13 ¶ Quæ † pœnæ de manifeſtis vſurariis intelligi debent: tales
autem ſunt, qui diffamati ea de re ſunt, & contra quos certa ex-
ſtant argumenta,*c.cum in tua diœceſi,de vſur.* Teſtium porro hic
non ſufficit probatio dicentium aliquem eſſe vſurarium, quia v-
ſuras illi ſoluerint, *Fridericus de Senis conſi 61.* quia deponunt in
cauſſa propria, *leg.omnibus.C.de reſtit.* vtpote quibus vſuræ re-
ſtituendæ eſſent acceptæ,& vltra,vt participibus ſceleris nec eis
creditur,*cap.1.de confeſſ.l.ſin.C.qui accuſa.poſſ ca.veniens,& ca.
per veſtras,de teſtibus,Luzouic.Roman ſingu.355.Bald.l.dictantib.
C.de teſtam.*

14 ¶ Tria autem † arguũt contractum emtionis fictum & vſura-
rium, vilitas pretii fama qua quis vſurarius dicatur, & quod pa-
ctum adiectum ſit,ne liceat venditori redhibere venditum, niſi
poſt certum tempus,*ca.ad noſtram,de emtio* Hæc autem concur-
rere debent. Nec ſola conſuetudo fœnerandi ſufficit ad proban-
dum contractum fœneratitium, quamuis ſemel malus, præſu-
matur ſemper talis in eodem mali genere,*l.Caßius,de ſenator.in
P.l.ſi cui crimen,§.iiſdem,de accuſ.in.* nã & fœneratores aliquãdo
legitime contrahunt.& ita Boerius tradit *deciſio.102.* Nec ſola
pretii vtilitas probat quia contrahentibus licet in pretio ſe cir-
cumuenire,*l.in cauſſæ 2.§.idem Pomponius,de minori.P.* facit ta-
men præſumtionem fictionis contractus, vilitas pretii, *§.1.ver.
quis enim dubitat,qua l.feud.olim alien poſſ.in vſibus feud.l.ſi quis
dixerit,loca.in P.* Adfert Fridericus & alias vſurarum probatio-
nes ex confeſſionibus & libris rationum haberi poſſe, *Fridericus
de Senis,conſi.* 8.quamuis difficillimum omnium, vt ait Iſocrates,
*Oratio 5.in Trapezita.* cum talib aduerſariis habere negotium,
etenim commercia quæ fiunt cum menſariis citra teſtes fiunt,
vnde quibus ab iſtis impoſitum ſit, neceſſe eſt imminere peri-
culum.

15 ¶ Moribus † & iure ciuitatum, ſeu ciuili nationum, vſuræ
quoque improbatæ fuerunt, ſicuti Indi pecunias ſuas ad vſuras
non locant,nec accipiunt, *Ælianus lib.4.de var.hiſtor.cap.1.* Pla-
tonis eſt lex, Nemini liceat fœnerari: liceatque, ſi quis in fœnus
acceperit,nec vſuras,nec ſortem reddere, *Plato 5.de legibus*, Lex
Oxei legiſlatoris, ne cuiquam ſuper aliqua fundi parte fœnera-
ri liceret, *Ariſtoteles libr.6.Polit.capit.4.* Chii,vt vſuras coerce-
rent, ex mutuo pollicitis vſuris tributum acceperunt. Et Byzan-
tii,cum nonnulli incolarum fœnerati eſſent ſuper poſſeſſiones
ſuas, ſtatuerunt, vt quicunque debiti tertiam partem ferre vel-
let,libere poſſeſſionem ſuam haberet, *Ariſtoteles libro ſecundo,
Oeconomicorum.* Refert Suetonius Tranquillus Iulii Cæſaris le-
gem, qua ſtatuit de pecuniis mutuis, deiecta tabularum noua-
rum exſpectatione,quæ crebro mouebatur, vt debitores credi-
toribus ſatisfacerent, per æſtimationem poſſeſſionum, quanti
quaſque ante ciuile bellum comparaſſent, deducta ſumma æris
alieni, ſi quid vſuræ nomine numeratum aut perſcriptum fuiſ-
ſet:qua conditione fere quarta pars debiti deperibat, *Suetonius
Tranquill.in Iulio Cæſar.c.42.*

¶ Apud † nos prohibitæ vſuræ ab optimis principibus, Phi- 16
lippo Pulcro,*in conſtitutione Philippi Pulcri publicata anno domini
1311.* & Ludouico Duodecimo, *in conſtitutione Ludouici Duode-
cimi publicata anno 1312.articul.64.65 66.* quorum poſtremus
delatoribus vſurariorum pollicetur tertiam partem mulctarum
imponendarum reis. Ex eadem conſtitutione Philippi ſtatutum
quoque, ne quis in communibus vſuris exigat vltra vnum de-
narium Turonenſem in hebdomada, vltra quatuor denarios in
menſe,vltra quatuor ſolidos Turonenſes in anno, pro libra Tu-
ronenſi. In nundinis vero Campaniæ, vbi pro nundinarum, vt
putatur,faciliori commercio mutuo datur pecunia, vel aliæ res,
in dilationem ſingularum nundinarum, vt pro ſingulis nundi-
nis, quæ ſex in anno ſunt,pro eo, quod intereſt mercatorũ den-
tur quinquaginta tantum ſolidi Turonenſes, pro centum li-
bris. Vnde conſurgunt ſingulis annis ratione ſex nundinarum
quindecim libræ pro centum Turonenſibus.

¶ Apud Romanos † legibus maiorum magis inuiſi fœnera- 17
tores ipſis furibus: nam furem dupli, fœneratorem quadrupli
condemnabant, vt teſtis Marcus Cato, *in principio de re ruſtica*,
nempe, vt furem manifeſtum, *§.præterea, de obl. quæ ex delicto
naſc.§.ex maleficiis,de action.cum ſimil.* & perfrictæ frontis & im-
pudentem.

¶ Lælius † Genutius Tribunus plebis rogationem etiam tu- 18
lit ad populum, ne fœnerari liceret, *Liuius in 7.* Et inclinatis in
concordiam animis noui conſules fœnebrem quoque rem,
quæ diſtinere vnanimes videbatur leuare aggreſſi, ſolutionem
æris alieni in publicam curam verterunt. *Idem Liuius libro ſepti-
mo.* Meminit quoque alibi Liuius *in 5.belli Macedon.* ſolutio-
nem fœneris, quam vocat fœneralia, in vrbe aliquando factam
publice. In tali, inquit, fœnore obruebantur debitores: cuius
coercendi cum ratio quæreretur, diem finiri placuit fœnera-
lia, quæ proxima fuiſſent, vt qui poſt eam diem ſocii ciuibus
Romanis credidiſſent pecunias, profiterentur, & ex ea die, pe-
cuniæ creditæ, quibus debitor, creditori ius redderetur. Cor-
nelius Tacitus, *libro quinto annal.* refert, primum lege duode-
cim Tabularum cautum, ne quis amplius vnciario fœnore fœ-
nus exerceret,cum antea ex libidine locupletum ageretur: de-
hinc fuiſſe hoc ipſum ad ſemiunciam redactum: poſtea & veti-
tam omnino verſuram, multiſque plebiſcitis obuiam itum. Iu-
re hoc Romanorum ciuili ſcripto prohibitas quoque exiſtimo
vſuras potiſſimum nouiſſimo. Nam † Cæſares poſtremi & ipſe 19
Iuſtinianus eandem fidem Chriſtianam amplectuntur, qualem
& ſummi pontifices,*leg.prima,de ſumma Trinitate,& fid.Cathol.
C.* & Chriſtiani reliqui ſequuntur ad eccleſiaſticas ſynodos, po-
tiſſimum Nicenam primam *leg.nos reddentes.de ſumma Trinita-
te,C.§.primo, de eccleſiaſtic.tit.in auth.* & alia generalia concilia,
quibus diximus prohiberi vſuras.

¶ Ceterum † in omni iure inuenimus, & aliquando vſuras 20
permiſſas in certis rebus, & cauſſis, & perſonis & modis nego-
tiandi. Non tamẽ idcirco approbatas dicere oportet, ſicuti Deus
ob duram ceruicem Iudæorum illis permiſit repudium,ſed non
probauit. *D.Math.c.19.& Marc.10.Deut.24.* Tanta enim homi-
num eſt improbitas, vt omnino a nomotheta tam bene emẽdari
vel purgari non poſſit, vt ſcoriæ aliquid perpetuo non remaneat:
aut, ſi omnino tollere velit, in peius vitium non degeneret: in
quo diſcrimine peius malum euitandum eſt & fugiendum, *ca.
quod Dauid 22 q 4.c.ſi aliquid,cum 2.ſeq.eo.ca duo,& c ſeq 13.diſt.*
Hoc modo in vſuris, ſi vetantur omnino, facit diuitum peſſi-

ma auaritia & crudelitas ſeu immiſericordia, vt malint potius
arca nummos rubigini cōmittere, quam iuuare gratis indigen-
tes: vel ſi mutuent gratis, ita truculenter repetunt, vt omni in-
quietudine debitores infeſtent. Proinde & modus quidam fœ-
nerandi permiſſus propter peruicaciam creditorum, & ad iu-
nandam inopiam debitorum. ¶ Conſideramus † itaque in vſu-
21 rarum permiſſione, res, perſonas, & taxationem. Res in quibus
permitti dicuntur vſuræ, comprehenduntur his verſibus:

*Feuda, fideiuſſor, pro dote, ſtipendia cleri,*
*Venditio, fructus, cui velles iure noceri.*
*Vendens ſub dubio, pretium poſt tempora ſoluens,*
*Pœna, nec in fraudem, lex commiſſoria, gratis*
*Dans, ſocii, pompa, plus ſorte modis datur iſtis.*

¶ Quæ omnia late explicantur & probantur a gloſſa, & Hen-
rico Bohic, in ca. conqueſtus, de vſuris, Ioanne Fabro, *in Bre-
uiar. tit. de vſur.* Angelo de Clauaſio, *in ſumma, in verb. vſur.* Bal-
do, Fulgoſio, & Iaſone, *in leg. prima, de ſumma Trinitat. C.* Ho-
ſtienſi, *in ſumma de vſu, §. in aliquo caſu, & in ca. cum contrah. de
pignor.* Chaſſaneo, *in §. 23. des droictz appartenanz aux gens ma-
riez in conſuetu. Burgund.* Iſti tamen caſus non proprie pertinent
ad mutuum, & ideo neque ad vſuram illam illicitam pecuniæ ex
mutuo, ſed vel ad iuſtam negotiationem rationemq; eius quod
intereſt, vel ad pœnam, ſeu ad moram plectendam debitorum
alio modo quam ex mutuo. Cui autem negotiationi, & quate-
nus permiſſæ vſuræ, poſtea paulo Deo fauente intelliges, in ta-
xatione, vbi & de rebus & perſonis plura. In perſonis diſtinctio
iure diuino in permiſſione fœnerandi facta, vt lege antiqua li-
ceret extraneis ad vſuram dare: proximis ſeu illis qui eiuſdem
populi eſſent, non liceret.

22 ¶ Non † fœnerabis fratri tuo ad vſuram pecuniam, nec fru-
ges, nec quamlibet aliam rem, ſed alieno; fratri autem tuo, abſ-
que vſura, id quo indiget commodabis, *Deut. c. 23.* Alienum in-
telligi volunt interpretes, hoſtem fidei, vt ab eo liceat fœnus ac-
cipere, quem liceat occidere, *c. fin. 14. quæſt. 4.* Et ideo non eſſe
permittendum Iudæis a Chriſtianis vſuras exigere, *Panor. in ca.
poſt miſerabile, per illum text. & Hoſti. in ca. ſalubriter, de vſur.* tra-
dunt recte interpretes, cum & illis dictum ſit, fœnerabis popu-
23 lis multis, & ipſe a nullo fœnus accipies, *Deut. c. 28.* ¶ Num † au-
tem ſummus pontifex poſſit diſpenſare, vt a Iudæis accipiantur
vſuræ in aliqua ciuitate, diſputat in vtramque ſententiam Ale-
xander Immola, *in nouiſſimo tomo conſilio. conſil. 1.* & tandem con-
cludit, poſſe: quia vix quærendum ſit de peccato mortali inter
Iudæos, qui iam condemnati ſint. Mihi ſuſpecta eſt iſta ſenten-
tia & pugnātia mihi videntur, velle amicitiæ & humanitatis be-
neficium mutui in Iudæos concedere, & poſtea hoc prætextu
velle bona illorum, vt ab hoſtibus exercere: cum potius Iudæi,
qui inter Chriſtianos conuerſantur, inde poſſint legem no-
ſtram improbare potius, quam ad fidem ſuſcipiendam impelli.
Quamobrem exiſtimo vel omnino a cœtu Chriſtianorum ex-
plodendos, vt in Gallia vel ſi aliqua ex cauſſa ferantur, bono ex-
emplo legis Chriſtianæ inſtruendos, vt videant opera noſtra bo-
na, & ne ſimus illis ſcandalo. Facit auaritia, cæca cupido, iniu-
ſtum lucrum, quod in re, quæ fructum non generat, in pecunia
videlicet fructum quærat & lucrum, vt non minus reprehenſi-
bilis videatur qui a Iudæo ea mente capit, quam is qui ab alio:
quia vſura vetita non naſcitur ex perſona, ſed ex re. Improbat
quoque Diuus Auguſtinus cogitationem eorum qui dicunt,
multi ſunt Chriſtiani diuites, auari, cupidi, non habeo peccatum
ſi ſuum illis abſtulero, & pauperibus dedero: vnde enim illi ni-
hil boni agunt mercedem habere potero. Quia, inquit, hæc
cogitatio diaboli calliditate ſuggeritur. Nam ſi totum tribuat
pauperibus quod abſtulerat, addit potius peccatum quam mi-
nuat, *ca. forte aliquis, 14. q. 5.*

24 ¶ Taxatio † vſurarum, ſeu æſtimatio, vel definitio legis, eas
licitas facit, & eas tantum exigi poſſe reſponſum eſt, quæ intra
fines legitimos continentur, alias nequaquam, *l. placuit, de vſur.
P.* Et ſi ſupra definitam quantitatem vel retentæ, vel ſolutæ ſunt,
in ſortem ſeu debitum principale, quatenus excedunt, impu-
tantur. Et ſi ſors quoque ſoluta ſit, in quantum excedunt, repe-
tuntur, *l. ſi non ſortem. de condictione indeb.* conſtituitque lex cum
definitione quantitatis, pro quibus, & quando deberentur, ſem-
per, quantum conſequi potuit, eas finibus anguſtiſſimis conclu-
dens. Veluti, ne illæ ex nudo pacto peti poſſent, niſi ſtipulatio-
ne quoque promiſſæ eſſent, *leg. 3. & l. pignoribus, Cod. de vſur.
l. Tuius, de præſcript. verb.* Cuius ratio eſt, quod acceſſio hæc v-
ſurarum ſit ciuilis, non naturalis: nec natura prouenit, vt ait Pa-
pinianus, ſed iure percipitur, propter periculum etiam, quando
periculo dantis pecunia fœneratur, *in leg. ſi nauis, 62. de rei vin-
dicat. P.*

¶ Paulus tamen † excipit ciuitatum debita, quibus & ex nu- 25
do pacto vſuras præſtandas voluit, *l. etiam ex nudo, 30. de vſur. in
P.* item Iuſtinianus argentariorum, *§. quia vero, & ſeq. conſtit.
nouell. 136.* Quamobrem ſi creditor ex re ſibi pro mutuo oppi-
gnerata percipiat fructus, vel prouentus aliquos, ſuos non facit,
ſi vſuræ non ſunt illi legitimæ debitę per ſtipulationem, vel legis
vel iudicis definitione, ſed vel reſtituere, vel in ſortem imputare
tenetur, *c. 1. & 2. & c. conqueſtus, de vſur. ap. Greg. ca. ad noſtram,
de iureiuran. l. 1. de diſtra. pign. C. l. 1. & 2. de pign. actio.* Imo iure
pontificio ſtatutum, debitores ſe non poſſe obligare ad ſoluen-
das vſuras: & ſi quando iuramento ſe præſtaturos firmauerint,
tenentur quidem ſoluere ſe a iuramento, & præſtare, verum ſta-
tim compelluntur creditores reſtituere, & remittere iuramen-
tum, *cap. 1. & cap. debitores, de iureiur.* neque valet iuramentum
debitorum: quod non poſſint repetere ſolutas vſuras, *ca. ad no-
ſtram, in 2. de iureiur. P.* ¶ Alia † lex vſuris reſtringendis impoſi- 26
ta, vt propter earum ſolutionem præteritam, non cenſeantur
debitæ, niſi doceatur, *l. creditor, C. de vſur.* & cōtra vt lapſu tem-
poris non ſolutæ, remiſſæ cenſeantur, *l. cum quidam, §. 1. de vſur.
in P. l. qui ſemiſſes, eod. tit.* Et ante Iulium Cæſarem tribuni ple-
bis creditoribus, modum rei fœnebri poſuerant, *Dion. Caſſius,
lib. 41. hiſtor.* Prohibitum etiam, ne fœnus non ſolutum in ſor-
tem conuertatur, hoc eſt, ne ex vſuris debitis vſuræ capiantur, ac
ſi pro ſorte deberentur, *in l. fin. C. de vſur. rei iudica. & in l. fin. C.
de vſur. l. ſi non ſortem, §. ſupra duplum, de condi. inde.* ¶ Vetitum-
que † anatociſmum eſſe mulcta indicta, & ne fœnus in ſortem 27
transferretur, vt ſcribit Appianus Alexandrinus *lib. 1. bellor. ciui-
lium.* Notauit aliquos Auguſtus, quod pecunias leuioribus vſu-
ris mutuari grauiori fœnore collocaſſent, *Sueton. in Octauio cap.
39.* Et infames hoc fœnus improbum exercentes iure ciuili eſſe
conſtat, *l. improbum 20. ex quibus cauſ. infam. irrog. C. lib. 2. tit. 11.*
Ceterum pro vſurarū definitione & diſtinctione facili metho-
do intelligenda, proponimus ſupremas in iure vſuras, ad quas
minores referūtur, centeſimas dici. Centeſimæ † vſuræ nō ſunt, 28
vt exiſtimant vulgares interpretes, quę æquent ſortem intra an-
num, & vt dicunt, quando centum pro centum ſingulis annis
creditor lucratur, *vt ſentit Accurſ. in l. ſi nō ſortem §. ſupra duplum,
in verbo, duplum, de condit. indeb.* nuſquam enim iuratam exſecra-
biles vſuras permiſerunt: ſed centeſimæ ſunt, quæ intra centum
menſes æquant debitum, videlicet, quando ex centum denariis
duodecim ſingulis annis penduntur, vt obſeruarūt Budæus, *lib. 1.
de Aſſe.* Hermolaus Barbarus, Ægidius Doſanus, *libr. de Aſſe.*
Alciatus *libr. 2. Parer. ca. 23.* Molinæus, *de vſur.* Centeſimæ ita-
que habent rationem temporis quo æquabant ſortem, videlicet
menſium, non quantitatis. ¶ Soliti † enim erant antiqui ſingu- 29
lis menſibus vſuras exigere, & rationes cum debitoribus inire:
idque docet nomen: quo rationum libri, ſeu nominum, & debi-
torum breuiaria nominabantur, quippe quæ appellatione Ca-
lendarii, *l. pen. de rebus cred. P. l. nepoti 6. de fundo inſtruct.* dice-
bantur indicat Horatius, dum ait *Sermo 1. Satyr. 3.*

*Odiſti, & fugis, vt Druſonem debitor æris,*
*Qui niſi, cum triſtes miſero venere Calendæ,*
*Mercedem, aut nummos vnde vnde extricat amaras:*
*Porrecto iugulo hiſtorias, captiuus vt audit.*

Et rurſum, *Horat. lib. Epod. ode. 2.*

*Hæc vbi locutus, fœnerator Alphius, de Alphio fœneratore me-
minit quoque Columella, lib. 1. de re ruſt. cap. 7.*
*Iamiam futurus ruſticus,*
*Omnem relegit idibus pecuniam,*
*Quærit Calendis ponere.*

¶ Calendæ † dicebantur ſinguli dies primi menſium, eoque 30
quod ab initio ſtatuit, vt Græci, & Hebræi, Romulus menſem
quemlibet a noua Luna incipiendum: quo & factum, vt alii aliis
fuerint longiores, prout tardius vel citius Luna appareret: voca-
batur autem populus initio eius apparitionis a minore pontifi-
ce, & a rege ſacrificulo in curiam Calabram, vt quot dies ſuper-
eſſent vſque ad nonas, quibus venire debebant in vrbem ruſti-
ci ad feriarum cauſſas cognoſcendas, ſignificarent. Et inde καλῶ
quod eſt voco, Calendæ, vt notat Macrobius, *libro primo, Sa-
turn. cap. 15.* Quare cum menſtruata eſſet vſura, quod qui tabu-
las conficerent menſtruas pene rationes in eas transferrent, vt
ait Cicero

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ait Cicero, *pro Q. Rab.* ſolebant Calendarum diem exſecrari debitores, quod indicat & Plutarchus cum ait in libro, non eſſe fœnerandum, οὐδὲ ἀναμνήσῃ τῶν καλανδῶν καὶ τῆς νεομηνίας, ἣν ἱερωτάτην ἡμερῶν, ἀποφράδα ποιοῦσιν οἱ δανεισταὶ καὶ στύγιον, id eſt, Inſuper & Calendarum aut neomeniæ recordaberis, qui dies etſi ſacratiſſimi exſiſtāt, nefaſti tamen & exſecrandi ab vſurariis redduntur. Nam pignora ipſis præſtita nec Iupiter ipſe ſaluare poſſit. Paulus Iuriſconſultus in formula ſtipulationis vſurarum, etiam idipſum docet in hæc verba. Lucius Titius ſcripſi me accepiſſe a Publio Meuio quindecim mutua numerata mihi de domo ſua: & hæc quindecim proba recte dari Calendis futuris, ſtipulatus eſt P. Menius ſpopondi ego Lucius Titius, &c. *in l. lecta 40. de rebus cred. in P.* Eſt & alia apud eundem, Lucius Titius ita cauit, Accepi & habeo in locum depoſitionis ea quæ præſcripta ſunt, argenti denaria decem millia, & omnia faciam, & conuenio, & confeſſus ſum, vt præſcriptum eſt: & conceſſi tibi tribuere vſuram vnius cuiuſque ſummæ vno quoque menſe obolos quatuor, vſque ad redditionem totius argenti, *Papinianus in lege Publia Menia. 26. §. Lucius. depoſit. libr. 16. P. titul. 3.* Erat & alia formula deducendi vſuras in ſtipulationem, in ſingulos dies, id eſt, vt certa vſura pro ſingulis diebus penderetur, quæ tamen legitimam non excederet taxationem & definitionem, *vt in leg. nihil intereſt, 4. §. quod in ſingulos, de naut. fœnor. in P.*

31 ❡ In centeſimis † itaque vſuris erit calculus, vt ex centum partibus, duodecim ſingulis annis pendantur, vel ſingulis menſibus vna pars, vt intra centum menſes æqualis ſit præſtatio vſurarum ſorti, id eſt, debito: ſortem enim debitum vocat Papinianus, *leg. vxori vſufructu bonorum 24. de vſufruct. lega.* & alii. Vocare poſſumus hanc maximam vſuram, *au denier douze.* in qua pro ſorte decem librarum Turonenſium, vnaquaque exſiſtente viginti ſolidorum, & ſolido duodecim denariorum vſuræ centeſimæ ſingulis annis ſunt ſedecim ſolidorum Thuronenſiū, & octo denariorum: & pro centū libris Turonenſibus, vſura centeſimæ duodecim lib. Turonenſ. quæ intra octo annos & menſes 4. æquat ſortem.

32 ❡ Volo autem † iſtam centeſimam vſuram aſſem nuncupare, totum quippiam & ſummum inter vſuras legitimas, vt ratione iſtius aſſis centeſimæ alias explicem. Martialis ideo recte centeſimam libram vocauit, dum ait, *lib. 11. Epigramma. epiſt. 106.*

*Mittebas libram, quadrantem Gaurice mittis,*
*Saltem ſemiſſem Gaurice ſolue mihi.*

❡ Porro prænoto, id totum quod aſſis nomine effertur in vncias 12. poſſe diuidi, ſiue in duodecim partes: quorum nomina ſunt propria ab vncia & ſemuncia, vſque ad aſſem. Vncia, eſt duodecima pars aſſis: ſextans, duæ vnciæ, quæ faciunt ſextam partem aſſis: quadrans quarta pars aſſis, tres vnciæ, quia quater tria 12. faciunt: triens, quatuor vnciæ, quæ conficiunt tertiam aſſis partem: nam ter quatuor conflant 12. Quincunx, eſt quinta pars aſſis, quinque vnciæ: ſemis, ſex unciæ media aſſis pars ſeptunx, ſeptem vnciæ: bes, octo: dodrans, nouem, dextans, decem: deunx, vndecim: as, duodecim, *§. hereditas, de heredibus inſtituen. apud Iuſtinian. l. ſeruum meum, §. fin. eod. tit. in P.*

33 ❡ Ergo † dicamus primum vnciales vſuras eſſe, quando vna vncia, ſeu vna pars centeſimæ ex duodecim tantum ſoluitur, quando videlicet pro centum ſingulis annis, tantum vna pars ex centum ſoluitur, & æquatur ſors tantum intra centum annos, vt ſi pro centum denariis vnus vſuræ nomine annuatim ſoluatur. Ita intelligitur Cornelius Tacitus, *lib. 15. annal.* facili negocio, dum ait lege duodecima Tabularum cautum, Ne quis amplius vnciario fœnore vſuram exerceret, cum antea ex libidine locupletum ageretur: dehinc fuiſſe hoc ipſum ad ſemiunciam redactum: poſtea omnino vetitam verſuram multiſque ſe-
34 natuſconſultis obuiam itum vſuris. ❡ Sextantes † dicuntur vſuræ, dum ſexta pars centeſimæ penditur annuatim, ſeu duæ vnciæ centeſimæ: ita æquant hæ ſortem intra quinquaginta an-
35 nos. ❡ Quadrantes † vſuræ quando tres partes vel vnciæ centeſimæ ſoluuntur annuatim: & æquant ſortem intra triginta & tres annos, ac quatuor menſes, id eſt, intra 400. menſes, quartæ videlicet centeſimæ, *de hac ſit mentio in authent. hoc ius porrectum, de ſacroſ. eccleſ.*

36 ❡ Trientales, † quando quatuor vnciæ, id eſt, quarta pars centeſimæ præſtatur annuatim, *de illis meminit, l. tutor qui repertorium 8. § quæ ſint, verſ. ſed etſi, de adminiſtrat. tutor. P. leg. 3. §. final. ad leg. Falcid. P.* æquant ſortem vigintiquinque annis, dicta hæc vſura & tertiæ centeſimæ, *l. cum quidam, §. fi. de vſur. P. l. eos, C. eod.* In iſtis erat terminus virorum illuſtrium fœnerantium, vt ampliores nō poſſent accipere ex mutuo, *l. eos, §. ſuper vſurarium verſi. quantitate, de vſur. C.* Atque hoc trientarium fœnus exercuit Antoninus Cæſar, vt patrimonio ſuo plures adiuuaret, vt ſcribit Iulius Capitolinus, *in Antonio.* Item & Alexander Seuerus, ita tamen vt pleriſque ſine vſuris pecunias dederit, *Lampridius in vita Alexandr. Seueri.* Hicque Imperator vſuras fœneratorum contraxit ad trientes, & ſimul penſiones, pauperibus conſulens: ſenatoreſque ſi fœnerarentur, primum vſuras accipere vetuit: niſi ſi quid muneris cauſſa acciperent, poſtea tamen iuſſit vt ſemiſſes acciperent, munera tamen quia ſæpe excedebant, ſuſtulit, *idem Lampridius, eod.* Iuſtinianus pro dote promiſſa & non ſoluta, poſt biennium tertiam centeſimæ vſuram deberi ſtatuit, *Iuſtinianus in l. fin. §. fin. C. de iure dot.* Prohibitum tamen aliquando his qui gerunt officium temporale & adminiſtrationem reipublicæ, inter ſibi ſubditos fœnerari vllo modo, *leg. 3. C. ſi certum pet. l. principalibus, eod. in P.* Cum ex ſpoliis victoriæ Octauiani contra Cleopatram & Antonium plurimum Auri Romam delatum eſſet, fœnus quod ante denario pendebatur, ad trientem tum recidit. *Dion Caßius lib. 51. hiſtor.*

❡ Quincunces † vſuræ habent quintam tantum partem centeſimæ, æquantes ſortem viginti annis, *de quibus in l. tutor, qui repertorium, §. quæ ſint, verſ. ſed etſi, de adminiſtr. tuto. l. alimenta, §. Baſilicæ, de alimen. lega.* Ideo dici poſſunt, *au denier vingt*: quæ hodie ſolent viduis adiudicari ob dotem non ſolutam, poſt annum a morte maritorum, *Papo. lib. 15. Rhapſo. Areſt. tit. 4. areſt. 1.* Quia & legitima cenſetur penſio rei, vel pro fundo, ea quæ intra viginti annos æquat ſortem ſeu valorem rei pro qua fit penſio, *§. ſi vero alicuius, de non aliena. reb. eccleſ. in auth.* 37

❡ Semiſſes † dicuntur vſuræ, dum ſexta pars centeſimæ ſoluitur, *de quibus ſit mentio in l. qui ſemiſſes. 13. l. cum quidam 17. de vſur. P. l. Titius 26. de præſcript. ver. P.* æquantque ſortem 16. annis, 8. menſibus: dictaque interdum hæc vſuræ ſpecies, media centeſimæ, *l. fin. de fiſc. vſur. libr. 10. C.* Iſtæ ſemiſſes erant ſupremæ in communibus vſuris, nec vltra hunc limitem tranſcendebant: quare & ſemiſſes vſuræ ciuiles dicuntur a Plinio: cōmunes iis qui in egeſtariis negotiabantur, *d. l. eos, §. ſuper vſurarum, verſ. vero, C. de vſur.* 38

❡ Vſuræ † ſeptunces, quando ſeptem vnciæ centeſimæ pen- 39
duntur, quæ æquant ſortem 14. annis, id eſt, menſibus, 171$\frac{1}{7}$.
❡ Beſſes, † quādo 8. vnciæ centeſimæ ſoluuntur, quę æquant ſor- 40
tem duodecim annis, $\frac{1}{2}$. vel 150. menſes, quas iuſte negotiantibus extra nauticum fœnus excedere non licebat, *§. quia vero. in Nouell. conſt. 136.* nec argentariis. *Suidas, in verb.* ἐπόγδοος τόκος. Suidas hanc vſuram ἐπόγδοον τόκον, vſuram octauam dicit, cum ſortis octaua pars fœneratori datur. Veluti, in quaternis drachmis quatuor oboli: drachma enim ſenos valet obolos, vt idem poſtea etiam notat, *Suid. in verb.* ἐπωβελία.

❡ Dodrantes † vel dodrantales vſuræ, dum nouem vnciæ vel partes centeſimæ ſoluuntur, quæ æquant ſortem, vndecim annis & $\frac{1}{3}$. & iſtæ dicuntur minores nauticæ, ſeu minores traiectitiæ. 41

❡ Dextantes, † dum decem partes centeſimæ ſoluuntur, æ- 42
quantque ſortem decem annis, ſeu 120. menſibus, mediæ nau-
ticæ, ſeu traiectitiæ. Deunces, dum vndecim partes centeſimæ 43
ſoluuntur, quæ ſortem nouem annis primo menſe, $\frac{1}{11}$. videlicet. 109. menſ. $\frac{1}{11}$. æquant. Centeſimæ poſtremo, prout diximus, quæ intra centum menſes æquant ſortem videlicet annis 8. & menſ. 4. *Sidonius Apollinaris, lib. 4. epiſt. 24. bis in ſtre ita ei conſtituit tempus, luſtrum autem erat 4. annor.*

❡ Quæ † ſupremæ ſunt nauticæ & traiectitiæ: de qua ſtatuit Iuſtinianus, vt in traiectitiis contractibus, vel ſpecierum fœnori dationibus vſque ad centeſimam tantum liceat ſtipulari, nec eam excedere, quamuis veteribus legibus hoc eſſet conceſſum: ceteros autem homines dimidiam tantum centeſimæ poſſe ſtipulari, *l. eos 26. §. ſuper vſurarum, verſ. in traiectitiis, & ſequ. C. de* 44
*vſuris.* ❡ Et † ex iſtis colligimus tres ſpecies vſurarū, ſummarum, 45
minorum, & inferiorum, *colligitur & ex l. fin. de vſu. rei iudica. lib. 7. C. titul. 52.* Prima ſpecies illuſtrium, quarum ſummæ trientes, mediæ quadrantes & ſextantes, inferiores ſemiunciales & vnciariæ 2. ſpecies comūnium negotiatorum, quarū ſummæ Beſſes, *ſic Iuſtinianus dicit beſſes centeſimæ, ſummas argentariorum, & menſariorum, in §. quia vero conſtitutio. Nouell. 136.* mediæ ſemiſſes inferiores quicunces tres ſpecies traiectitiarum & nauticarum, quarum ſummæ centeſimæ, mediæ deunces &

dextantes inferiores dodrantales. Sed & maximæ, & minores vſuræ, ſecundum etiam mores & conſuetudinem locorum, *l. 1. de vſur. in P.* & habita ratione negotiorum intelligendæ ſunt, neque nomen maximarum vſurarum ſemper ad cēteſimam referendum eſt, vt plerique falſo interpretantur, *vt gl. in l. 1. de vſur. pupil. C. vt in l. qui ſine vſuris 40. de negot. geſtis, & leg. non exiſtimo 51. de admin. tut. in P.* Quare cum Triphoninus reſpondit tutorem qui pupilli pecunias clam accepit, condemnari ad maximas vſuras, *proxime citatis legibus*, id explico, vt non ad centeſimas, quia illæ ad nauticam & pecuniam traiectitiam pertinent, nec ad communes, ſed ad eas maximas teneatur, quas quis ex pecuniis pupillaribus negociando, vel fœnerando conſequi potuiſſet, perpendendo mores diuerſos regionum *iuxta l. tutor, §. ſi poſt depoſitionem, & §. quæ ſunt, & ſequ. §§. de adminiſtrat. tut. P.* Sic enim etiam iubetur iudicibus in definitione vſurarum, morem & conſuetudinem regionum ſequi, dummodo quantitas diffinitionem legis non excedat, *Paul. in l. Africanus, alias a-*
46 *pud Iulia l. 40. § in vſurarum. de lega. 1. & l. 1. de vſur. in P.* ¶ † Centeſimæ vſuræ graues certe viſę ſunt antiquis, vt eas niſi certis permiſerint negotiis, idque potiſſimum ratione periculi quod in ſe creditor ſuſcipiebat trāſuectionis ſpeciei, vel pecuniarum: nam aliter prohibitæ *l. eos §. ceteris, de vſur. C.* Et traiectitia pecunia, quæ periculo creditoris datur, tamdiu libera eſt ab obſeruatione communium vſurarum, quamdiu nauis ad portum non appulerit, *l. nihil intereſt 4. de nautico fœno. in P.*

47 ¶ Maritimas † vſuras, *l. 1. C. de nau. fœn.* & nauticas dicimus, & traiectitias. Traiectitia pecunia eſt, quæ trans mare vehitur, *l. fœnerator 6. de nauti. fœnor. P. nouella 130. §. 1.* Ceterum ſi eodem loco conſumatur, non erit traiectitia pro traiectitia pecunia, & merces ſunt pecunia data comparatæ & tranſuehendæ *l. 1. de nauti. fœn. P.* Verum obſeruamus non ſufficere pro exigendis centeſimis vſuris cautum eſſe, vt res, vel pecunia tali loco transferrentur, vel redderentur, niſi adiectum ſit quoque, vt periculo creditoris transferrentur, *d. l. 1. § fi. de naut. fœn.* idque merito. Nam qui ſuſcipit in ſe periculum pecuniæ traiiciendæ, ſi ea caſu aliquo pereat, antequam ad deſtinatū locum perducatur, periit ei, non debitori, *l. 2. C. de naut. fœn.* niſi debitoris culpa vel facto pereat, *l. 3. C. eod.* contra, autem, ſi non ſuſcipiat in ſe periculum mutuatæ & tranſuehendæ quia perit debitori, *vtrumque probat l. fin. C. de nau. fœn. 4. & l. periculi 5. eod. P. l. ſi nauis, 62. de rei vindi. P. poſtremum in l. incendium, ſi cert. pet. C. §. 2. quibus mod. re contrah. obl.* Quare non debentur vſuræ iſtæ, niſi a tempore, & tempore periculi ſuſcepti, videlicet nauigationis, ex quo finita ſuſpitione periculi deſinunt deberi centeſimæ & ad creditorem periculum pertinere incipit, *l. 3. de naut. fœn.* & tātum communes petuntur, *l. 1. C. eod. tit. idem in 16. lege Rhodia Græc.* Omnem rationem & cauſſam maritimarum vſurarum inuenies explicatam apud Iuſtinianum in nouella 130. vbi & inter ceteras rationes cur ita magnæ eſſent, illæ duæ comprehenduntur, quod telonea ſeu vectigalia nauigantibus ſoluenda eſſent, & in eo, ratione eius quod intereſt, probarentur, ſi nunc ex tranſuectione pecuniæ vectigalia debeantur: item propter periculum fortuitorum caſuum. Quæ tamen excuſatio non placet Pontificii iuris decretis. Sic enim Gregorius nonus reſcripſit, nauiganti vel eunti ad nundinas certam mutuans pecuniæ quantitatem, eo quod recipit in ſe periculum, recepturus aliquid vltra ſortem, vſurarius eſt cenſendus, *in c. fin. de vſur. ap. Greg.* Quibus verbis illæ vſuræ ſceleſtiſſimæ argentariorum ſeu menſariorum, *menſarios olim publicas rationes confeciſſe argentarios priuatam, docet Sigoni. lib. 2. de antiquo iure Rom. c. 11. diuites videlicet quæſtum facientes, ex permutandis aut fœnerandis pecuniis, erant opprobrio Romanis, permiſſi Lugduni ſub tempus Franciſci primi eius nominis reg. Galliæ.* quos vocāt bancarios, qui ſingulis quatuor nundinis Lugdunenſibus 15. pro centum exigunt, optime damnantur, cum Iuſtinianus tantum beſſes argentariis permittat, *§. quia vero, nouella 136.* Et leges nauales tamen videtur vſuras nauticas ſine periculi ſuſceptione inhibere, terreſtres vero & ſine eo permittere, dum aiunt, *in legib nauticis Iuſtiniani lege 15* ὁ νόμος κελεύει, τὰ ἐν τῇ θαλάσσῃ δεδανεισμένα, ἔγγυα καὶ ἀκίνδυνα μὴ γραφέτωσαν· εἰ δὲ καὶ ἐπιγραφῶσιν, ἄκυρα ἤτω, ἐπὶ τὸν ῥόδιον νόμον. τὰ δὲ ἐν ἀγροῖς ἢ ὄρεσι δανειζόμενα ἔγγυα καὶ ἀκίνδυνα ἐπιγραφέτωσαν. id eſt, legis iuſſio eſt: ſi quid in mari mutuo datur, tutum ac periculi offenſione carens, in tabulas fœneratitias relatum, vſuras non pendito. Quod ſi relatum erit, irritum id ac nullius valoris eſto, iuxta legem Rhodiam. Ea vero quæ in terra mutuo dantur, licet tuta ſint, ac ab omni periculo vacua, in libros rationum relata, vſuras ſoluunto. ¶ Duplicem † vſurā nauticam conſtituit Iulius Pollux, habita ratione 48
periculi, heteroploon, & amphoteroploon. heteroploos, cum fœnerator tantum commeatus periculum ſuſcipit, id eſt, alterius nauigationis. Amphoteroplus, quæ commeatus & remeatus periculum ſuſcipit: quæ ita contrahitur, vt nec vſura, nec ſors debeatur, niſi nauis cum mercibus, *Iul. Pollux, lib. 8. Onomaſt.* ſoſpes in domicilium rediiſſet. P. Nicephorus Orientis Imperator ſuſtulit etiam vſuras nauticas omnibus, demtis Chriſtianis, quorum odio flagrabat. Sic enim in eius conſtitutionibus legimus, quod in Chriſtianos τοκισμοὺς ἐν πλοίοις, ὁ πᾶσι νομοθετῶν τὸ μὴ τοκίζειν, καὶ ἄλλας μυρίας κακῶν ἐπινοίας ἐπέτεινεν, id eſt, vſuras de nauigiis captatas, cum interim re fœnebri aliis omnibus interdixiſſet aliaque infinita mala excogitauit, *libr. 1. iuris Orientalis, in conſtitutio. Nicephori in 2.* Fuit & decimum eius tyrannicum inſtitutum, quod inſignes Conſtantinopoli naucleros in vnum conduxit, iiſque duodecim cuique libras auri tradidit, ea lege vt in ſingula numiſmata vſuræ nomine quatuor ſiliquas ſoluerent: ſic enim in Græco exemplari, δέδωκεν ἐπὶ τόκῳ τετρακεράτῳ τὸ νόμισμα, ἀνὰ χρυσίου λίτρας δώδεκα, *eod. in lib. 1. iuris Orientalis conſtit. 2.* Lex de centeſima vſura ſæpe renouata, vt a Lucullo in Aſia: a Cicerone in Cilicia: a Iulio Cæſare in toto imperio. Permiſſæ & in quibuſdam aliis cauſſis quam periculi nautici in iure ciuili: veluti quando quis poſt tempus quadrimeſtre non ſoluit iudicatum, *leg. fin. de vſur. rei iudic. lib. 7. C. titul. 54. l. ſi vt proponis 4. de ædif. priuat. libr. 8. Cod. titul. 10.* Ponunt, *Accurſ. in leg. eos §. in traiectitiis, in verbo ſpecierum, de vſu. C. & alibi.* exemplum, & in vſuris debitis a tutore pro pecuniis pupillaribus, *ex l. qui ſine vſuris, de negot. geſtis, P.* ſed ego quid in hoc ſentiam paulo antea expoſui, neque puto permiſſionem centeſimæ in iure permiſſam niſi expreſſe ius eam concedat ſtipulari: & ideo iura quæ trahuntur ad centeſimam, *vt l. ſi ea lege, l. ſi ea pactione, l. frumenti, l. oleo, C. de vſur.* eo quod maiores permittant, propter incertitudinem fructuum remanere apud creditorem, & ſi maioris æſtimationis ſint, videntur intelligenda infra centeſimam. Temerarius porro videtur is eſſe qui periculum in ſe & aleam nauigationis ſuſcipit: vt non immerito, etiam a ſummis pontificibus prohibita videatur, *ca. nauiganti de vſur.* Recte enim & Bias ob infinita prope pericula, nautam neque in defunctorum, nec in viuentium numero computat, homo namque terrenus, tanquam vtriuſque ac dubiæ vitæ particeps, ſeſe mergit in aquam, totus fortunæ ſubiectus, vt ſcribit Xenocrates, *Philoſoph. lib. de morte.*

## De Exſtinctione & Sublatione vſurarum, & fine, & rationibus permiſsionis illarum.

## Cap. 4.

1 *Vſuræ non exiguntur extra definitionem iuris, vel extra duplum ſortis.*
2 *Vſuræ tolluntur ſolutione debiti principalis.*
3 *Conſignatio debiti legitima inhibebat curſum vſurarum.*
4 *Vſuræ nauticæ quando deſinunt deberi.*
5 *Vſurarum finis lucrum.*

MVltis † modis vſuræ peti poſſe deſinunt, vel ex eo quod ſu- 1
pra legitimam iuris definitionem promiſſæ ſunt, *leg. placuit, de vſur. in P. l. eos 26. §. cæteros & l. de vſur. C. eod. titul. leg. ſi non ſortem 26. de condict. indeb. P.* vel quia duplum attingunt, & ſupra duplum exigi nequeunt, *dict. leg. ſi non ſortem, §. ſupra duplum, §. primo, nouella 121. & nouella 128. l. vſuræ, & l. de vſuris C. de vſur. l. pecu. eod. P.* etiam lege Ægyptiorum, de qua meminit Diodorus Siculus lib. 2. cap. 3. & qui exigunt infames habentur, *l. improbum C. ex quibus cauſſis infam. irroget.* Duplum eſt ſors, & vſuræ præſtitæ vſque ad ſummam ſortis: cumulantur autem in hac computatione ineunda vſuræ annuatim præſtitæ iure Nouellarum, donec æquent ſortem, & tunc, dum partes ſunt ſorti, deſinunt deberi, *dicta nouella 121 & 138.*

¶ Intercipitur † quoque curſus vſurarum ſolutione debiti 2
principalis ſeu ſortis, *l. eos C. de vſur.* veluti principali cauſſa & radice vſurarum ſublata, *l. cum principalis, de regulis iuris. ca. acceſſorium, eod. titul. in Sex.* quia ſolutione eius quod debetur tollitur omnis obligatio, *§. 1. quib. modis toll. oblig. & ſupra diximus in ca. de ſolutionibus.* & tutus exceptione pro debito principali, & tutus eſt a petitione vſurarum, *d. l. eos.*

¶ Quod † ſi creditor debitum recuſet accipere conſignatio- 3
ne debi-

ne debiti, & vſurarum debitarum, legitimo modo, & congruo loco, & tempore facta, ceſſat vſurarum in poſterum debitum, *leg. ex prædiis, & l. acceptam. & l. 2. C. de vſu. l. tutor condemnatus. § Lucius. eod. tit. P.* quia inde ſequitur liberatio, *l. obſignatione, C. de ſol.* niſi debitor rurſum conſignatis vſus fuerit, quia tūc reuiuiſcunt, vſuræ, & perficiunt inſtitutum curſum, *in l. debitor vſurarius, de*
4 *vſuris, in P. d. l. acceptam, C. eod. l. 1. §. fin. eod. P.* ¶ Item† vſuræ nauticæ, vt diximus proximo capite, *ſupr. c. 3. num. 47.* deſinunt præſtari aut deberi ceſſante periculo, & naui in portum delata.

5 ¶ Finis † omnium vſurarum lucrari eſt: vt finis eius quod intereſt, damnum vitare. Finis & cauſſa permiſſionis vſurarum in mutuo quæ ſit, ex ſuperioribus quoque colligere licet, vt permiſſione facta aliqua fœnerandi, iuuentur pauperes indigui rerum, qui aliter nummos a digitis & loculis diuitū extrudere nequeunt, quam aliquo lucro conceſſo. Alia, vt taxatione, ſæuiente tanta diuitum immiſericordia, fœnus iniiceretur fœnori, & modus lucro, quod alioquin, ſi ex arbitrio ſumeretur fœneratorum, breui futurum eſſet, omnes facultates, & patrimonia, imo perſonas ipſas in ditionem illorum ventura. Prohibitionis vſurarum rationes, & iura nationum, ab exordio tractationis earum expoſuimus, vt ordinem & rationem permiſſionis facilius explicaremus, eo itaque pro reliquis recurrendum eſt.

## De Mutui repetitione & eius certi condictione. Cap. 5.

1 *In Mutui repetitione quomodo peccent debitor & creditor.*
2 *Creditores in repetitione mutui in quibus reprehenduntur.*
3 *Creditor propria auctoritate debitum repetens, quando in Gallia iure ſuo priuetur.*
4 *Debitores improbi exoſi quibus rationibus.*
*Mutuum repetendo ex amico fit inimicus, eod.*
5 *Certi condictio ex mutuo quid, & quando datur.*
*Certi condictio generalis & ſpecialis quid, eod.*
*Certi condictio triticaria & ex mutuo ſpecialis. eod.*
6 *Pecunia æſtimationem dat rebus, illa non æſtimatur rebus.*
7 *Certi condictionis mutui, & aliarum rerum differentia.*
8 *Condictio ex lege quid.*
9 *Condictio cauſſa data, condictio ob turpem cauſſam dati, ſine cauſſa incerti, indebiti, furtiua.*
10 *Mutuum num nomine alieno fiat.*

1 QVia † & mutui negotium, non tantum in ipſa obligatione, ſed in ipſa repetitione quæſtionē habet. de ea agimus. Vere certe paucis apud Aſtrophanem in Nebulis. Straſiclades reſpondit Socrati interroganti in hæc verba,

Socrates, εἰ μνημονικὸς εἶ? Straſiclades, δύο τρόπω, νὴ τὸν Δία:
Εἰ μὲν γ' ὀφείλεταί μοι μνήμων πάνυ.
Ἐὰν δ' ὀφείλω, σχέτλιος ἐπιλήσμων πάνυ.

Id eſt:

Socrates *memorne es?* Straſiclades *duplici modo, per Iouem.*
*Si quidem debetur mihi, memor valde:*
*Si autem debeo, miſer, obliuioſus valde.*

¶ Quibus verbis manifeſtum eſt, duplici modo, & ex parte creditoris, & ex parte debitoris peccari in mutui repetitione. Creditores namque præter modum æris memores, ſeueriſſime debitores, vt plerumque vrgent & inſectantur: contra debitores ingrati, & beneficii accepti & diei ſolutionis facile obliuiſcuntur. Creditores in debitores exacuit auaritia ſeu habendi intemperata præcepſque cupiditas, & immiſericordia, vel debitorum perfidia & peruicacia, quos aliquando dignos miſericordia facit inopia fortuita, & ſine culpa contingens ſuorum bonorum depertitio, quos iuuat lex, vt alios contumaces cogit & caſtigat vſuris, & pœnis, actionibus, commodis, creditoribus conceſſis, & ne ſupra quam par ſit ſæuiant, iniectis frænis. Et in ſumma, leges vtriſque poſitæ.

2 ¶ Si mutuum, † inquit Deus, dederis populo meo, non vrgebis quaſi exactor, *Exod. 22.* Repræhendit & Dominus noſter Ieſus Chriſtus immiſericordem exactorem. *Matth. 18.* Prohibet & lex præcocem vel ſæuam exactionem, neue corpora pro debitis affligantur, *l. nemo, de exact. tributor. libr. 10. C.* & ne propria auctoritate res ſuas repetant, indicta alioquin id facientibus debiti amiſſione, & pœna legis Iuliæ de vi, *leg. ſi quis in tantam, C. vnde vi. l. Paul. 48. ad Trebellian. P. l. creditores, ad legem Iulianum, de vi. priu. in P. l. exſtat, quod met. cauſ. in P. l. 1. C. de ſuffrag. l. 1. quorum bon. P.*

¶ Et quamuis † in Gallia ob eam temeritatem creditor ſuo 3
iure non priuetur, niſi ſententia expreſſe dictum ſit, *Guiliel. Benedict. interpret. c. Raynut. in verbo, ſi abſque liberis, num. 147.* tamen puniendus acerrime ideo venit poſtea, *gloſſ. in l. iubemus, §. œconomus, in verb. priuetur, de ſacroſanct. eccleſ. C.* Datur & dilatio debitoribus ſoluere volentibus, etiam non petentibus, *l. debitoribus, de re iudica. in P.* quamuis dies ceſſerit & venerit ſolutionis, vt reiiciatur creditor qui venit ſtatim paratus cum ſacco, *leg. quod dicimus, 105. de ſolut. P.* vt tamen neque nimium delicatus debitor, neque oneroſus creditor audiantur, *l. ſi ſeruos 25. de pign. action. lib. 13. P. tit. 7.* Monebat recte Phocilides, Debitor ne improbi viri ſis caue, ne vbi dederit, moleſtus ſit intēpeſtiue, *Suid. in verb. ἀπαιτέον.*

¶ Deteſtantur † autem leges improbos debitores, qui vt ait 4
Phalaris. *epiſt. 63. Eunæis ſcribens.* imitantur mores cameleontis, qui pro tempore colores mutat: quippe qui & beneficium accepturi, laudant velut beneficium dantem: redituri, vt tyrānum exiſtimant & impium: quibus ſimilia Eccleſiaſticus refert in ſacris Bibliis, *Eccleſiaſt. 29.*

*Nam fere maxima pars morem hunc hominum habet: quod ſibi volunt*
*Dum id impetrant, boni ſunt: ſed id vbi iam penes ſe habent,*
*Ex bonis peſſimi ac fraudulentiſſimi ſunt: vt ait Plautus in Captiuis actu 2. ſcen. 1.*

Et rurſum, *Plaut. in Trinumo.*

*Si quis mutuum dederit, fit pro proprio perditum:*
*Quoniam repetas, inimicum amicum beneficio inuenis.*

Sic Rabinus Simeon interrogatus a Rabino Iochanna, *in lib. qui Pirkei abot, id eſt capitula patrum, c. 7.* שיתרחק ממנה האדם היא דרך רעה. Legendum, hi derck ragah ſcetrahek mimenah haadam, id eſt, quæ eſſet via, a qua abſtinere deberet homo? Reſpondit, לוהשין חמקים הלוה הואינו לשלם ושלם: צדיק חנן ונותן אחד לוה מין האדם כאלו שנאמר לוה רשע: lege, halouch veæno leſchalem hechad Iouch min haadam ceilo louch min hamakom: ſcen amar, louch raſagn ieſalem, tzadik chonnen venothen, id eſt, qui mutuo accipit & non reſtituit: qui enim mutuum accipit ab homine, perinde ac ſi a Deo accipiat: ſecundum illud quod dictum eſt, *Pſalm. 37* Peccator mutuabitur, & non ſoluet: iuſtus autem miſeretur, & retribuet. Et vt ait Columella, in totum debitoribus non eſt remittendum quoniam vel optima nomina non appellando fieri mala, fœnerator Alphius dixiſſe veriſſime fertur, *Columella. lib. 1. de re ruſtica, cap. 7.* Proinde proditæ ſunt actiones ad compellendos debitores ad ſolutionem, & poſt illas alia ſeueriora remedia conceſſa.

¶ Naſcitur † namque ex hoc contractu actio quæ vocatur 5
certi condictio, ſpecialis ex mutuo, *§. 1. quibus mod. re contra. obl.* Siquidem quemadmodum in aliis obligationibus quam mutui, certi appellatio communis interuenire poteſt, & certum in illis inueniri, ſic generalis quædam eſt certi condictio ſeu petitio perſonalis, quę cum aliis actionibus propriis concurrere poteſt in contractibus ex quibus certum petitur, *l. certi condictio 9. & ibi glo. ad verba certi condictio, circa fin.* & in *§. 1. de reb. cred. P.* aliunde quam ex mutuo, *l. ſi ego 17. & ibi gloſſ. in verbo condictione, de reb. cred P.* interdum remanet ſola, *vt in caſu, d. l. ſi ego, & l. ſi a furioſo, l. ſi & me. de reb. cred. P. tit. de condict. generali P. Petrus Iacobi in tit. de condictione certi genarali.* Speciales porro duæ conſtituuntur, triticaria, & ex mutuo. Si pecunia numerata repetitur, datur condictio mutui ſi certum petatur: ſi alia res certa extra pecuniam numeratam petatur, datur triticaria: ſiue menſura, ſiue pondere conſtet: ſiue mobiles ſint, ſiue ſoli: ſiue iura, vt ſeruitutes vtrorumque prædiorum, & vſusfructus, ſiue illæ res certæ, ſiue incertæ ſint, *l. 1. de condict. tritic. ar P.* Extenderunt & poſtea mutuum ad ea quæ certitudinem fere æqualem rebus pondere, numero, vel menſura conſtantibus habent: ſimiliter & eius certi condictionem, *§. 1. quib. mod. re contra. oblig.* In quo aliquo modo condictioni triticariæ videtur accedere, cum tamen triticaria ad alias res pertineat incertas, ob quas triticaria poteſt dici arbitraria actio: quia iudex arbitrio ſuo, rem quæ per eam petitur æſtimat, habita ratione loci & temporis condemnationis, ſi res exſtet: ſi autem interierit, temporis mortis ſeu interitus, *l. 3. de tritic. actio. in P.* excepta pecunia, quæ certam habet nec arbitrariam æſtimationem, & qua res aliæ æſtimantur, *l. 1.*

*de contrahen.emt. P.* ipſa rebus aliis non æſtimatur, *l. ſi ita, 43. de*
6 *fideiuſſ. P.* ¶ Quæ † & ideo pecuniæ nomine dicuntur, *l. rei ap-*
*pellatione 5. l. pecuniæ verbum, 178 l. pecuniæ nomine, 222. de verb.*
*ſign. P.* ſicut illa a pecudibus, quibus ante materiam electam con-
ſtabat rerum æſtimatio ſeu permutatio frequentior rerum quo
tidianarum, & patrimonium præcipuum, *Plinius, lib. 33. capit. 3.*
*Varro 4. de ling. Latin.* Quare in mutuo actio non eſt arbitraria,
ob pecuniam ex qua conſtat, *l. 2. §. idem mutuum, de reb. cred.* Et
in eo nihil amplius minuſue quam datum ſit aut conuentum
eſt, peti poteſt. *l. ſi tibi decē 18. de pactis, P. l. rogaſti, §. ſi tibi decem,*
*de reb. cred.* quod in his quæ pondere numero, & menſura conſi-
ſtunt ductum eſt, quæ certitudinem habent maiorem, & ideo
recte hoc modo pecuniæ nomine intelliguntur, *l. talis ſcriptura*
*30. de lega. 1.* Quod ſi æſtimatio quædam maior rei in mutuo ac-
cedat, habita ratione temporis & moræ, ea non tam augmenta-
tatio rei, quam rei ipſius valor dicetur, *l. vinum, ſi cert. pet. in P.* vel
ad pœnam ob moram, vel ad quod intereſt referre oportet.

7 ¶ Certi † condictio vere ergo in hac mutui repetitione pro-
pria, pro re certa debita mutuata repetenda. Quibus verbis ſe-
iungitur ab aliis condictionibus certis, quæ nō pro mutui repe-
8 titione, ſed ex aliis cauſſis dantur: ¶ cuiuſmodi † eſt condictio
ex lege, quæ reſtringitur ad legem, ob quam obligatio producit
vim petendi, *Paulus in leg. prima, de condict. ex leg.* vt ex l. omni-
modo, de inofficioſo teſtamento, C. pro donatione ex lege, ſi
quis argentum, §. ſin autē, de donatione, C. ex lege Iulia. leg. do-
talem, & leg. ſi vero, & leg. ſequen. ſoluto matrimonio, in P. ſic
de ſimilibus.

9 ¶ Eſt † & condictio cauſſa data, quando data cauſſa alicuius
rei faciendæ, ea non facta repetuntur *in l. 1. de condict. cauſ. dati.*
*P. & C. de condict. ob cauſ. dat.* Condictio ob turpem cauſſam da-
ti, ſi ex parte dantis quoque non adſit turpitudo, *l. 1. 2. 3. de condi-*
*ctio. ob turpem cauſ. in P. & C. eod. titul.* Condictio ſine cauſſa,
qua repetit obligationem qui promiſit vel ſoluit ſine cauſſa, *leg.*
*1. & 2. de condict. ſine cauſſa, in P.* quæ & eſt condictio incerti, *l. 3.*
*de condictio. ſine cauſ.* Quibus accedit & condictio indebiti igno-
ranter ſoluti, *l. 1. & ſeq. de condict. indeb. P.* condictio furtiua, *tit.*
*de condict. furt. P.* & ſimiles. Nec tamen ſi quis certum ſtipulatus
fuerit, ex ſtipulatu actionem habet, ſed illa condictione id per-
ſequi debet ex qua certum petitur. *Vlpianus, in leg. ſi quis certum,*
*24. de rebus cred. in P.* potiſſimum ſi de mutuo agatur per alium
nomine noſtro facto.

10 ¶ Nam † libera perſona mutuum dans, & nobis redditionem
ſtipulatus, nihil agit, nec nobis quærit: ſi autem numeret nomi-
ne noſtro ex ea numeratione, non ex ſtipulatione, nobis quærit,
& certi cōdictione ex mutuo agere poſſumus, *Paul. l. ſi ita ſtipu-*
*latus 126. §. ſupereſt, de verborum obligat.* Quæritur autem ſtipu-
lanti actio: & ſi abſens cuius nomine facta erat ſtipulatio, repe-
tat, negotiorum geſtorum actione tenetur eidem reſtituere, *l. 3.*
*de contrah. & commit. ſtipul. lib. 8. C. tit. 38* vel ſi ex perſona mu-
tuantis non poſſit ei dari actio, puta, quia filiusfamilias mutuo
dedit viaticum ſuum ſtudiorum cauſſa datum, & abſens pater e-
ius eſt, dabitur extraordinarium iudicium ex officio iudicis. *leg.*
*cum filiusfamilias, 17 de reb. cred. in P* vel vtilis certi condictio, *l.*
*ſi longius §. 1. de iud. in P.* Pro mutui ſolutione conuenitur nō tan-
tum qui accepit, ſed & heredes eius, pro portionibus heredita-
riis, *l. 1. de reb. cred. C.* Lex Luithprandi Longobardorum regis
ſtatuit, vt ſi quis neglexiſſet petere debitum per quinquen-
nium, non poſſet poſtea petere: quod ſi iudicio intra illud tem-
pus interpellaſſet, interrumperetur præſcriptio vſque ad decen-
nium: & ſi in ſecundo quinquennio, vſque ad quindecim an-
nos, & ſic deinceps interpellatio adiiceret quinque annos, *leg.*
*ſi quis mutuauerit, titul. de debitis. Gadimo, libro ſecundo, legum*
*Longobard.*

## De Prehenſione debitorum, & carcerum mancipatione, aliiſque quibuſdam ad ſolutionem conſequendam remediis.

### Cap. 6.

1 *Debitor fugiens quando prehendi poſſit.*
2 *Incarceratur debitor triplici cauſſa propria auctoritate.*
3 *Debitor prehendi poteſt ſuſpectus vt caueat.*
4 *Debitor non ſoluens olim coniiciebatur in carcerem.*
5 *Debitores ſecandi ex lege 12. tab.*
*Legis 12. Tab. de debitoribus ordo. eod.*
6 *Lex Romana ne corpus pro debito in vinculis eſſet, & 8.*
7 *Debitores apud Iudæos ſeruiebant creditoribus.*
8 *Debitor an poſſit obligationi carcerum obſtringere ſe & 9. & 10.*
9 *Hominis nobilitas ſuper omnes res.*
10 *Debitoris obligatio ad carceres cur in Gallia admittatur.*
11 *Fœmina debitrix an incarcerari poſſit.*

COguntur † etiam debitores ſoluere mutuum per prehen- 1
ſionem, & per carceres, idque triplici ratione: vel quia fu-
giant, vel quia carceribus ſe obſtrinxerūt, vel quia damnati a iu-
dice, contumaces in reſtitutione ſunt. ¶ Licet † namque in pri- 2
mis fugientem cum debito debitorem creditori etiam propria
auctoritate prehendere & iudici exhibere, *l. aut prætor, §. ſi debi-*
*torem, quæ in fraud. creditor. P. glo. in §. 1. in verbo in iudicio, de act.*
*& ibi quoque Ang. Aret.* Quod & ſingulari edicto & priuilegio
conceſſit Lugdunenſibus mercatoribus Princeps noſter, 21. Iu-
nii 1533. Et hodie hoc iure vtimur, vt ſi debitor mobilia ſua bo-
na transferat extra prouinciam, reſcripto iudicis ſupplicationi e-
ius rei cauſſa porrectæ inſerto, debitor capi poſſit.

¶ Quia † certe hic fraudem ſolum vertendi ſuſpicamur, po- 3
tiſſimum, quando ſunt alienigenæ debitores, quorum fuga cum
inopia recte cauendum eſſe & proſpiciendum admonet. Et ſe-
cundum Iaſonem debitor ſuſpectus capi poteſt ante diem, vt ca-
ueat, *in l. ſi arbitro. qui ſatiſda. cogan. num. 4. quem ſequitur Mat-*
*thæus de Afflictis, deciſ. 108.* Quemadmodum ſi debitum quid ſit
ſub condictione, ante tempus quoque deſtinatæ ſolutionis, ex
cauſſa legitima peti poteſt cautio a debitore, *l. in omnibus, 41. de*
*iudic. in P.* qualis eſſe poteſt, ſi debitor cœperit diſſipare vel ab-
ligurire bona, vel condemnatus fuerit, *vt in ca. ſi. de fideiuſſo. lib.*
*3. Decre. tit. 22. in l. Lucius. manda. P.* Et quamuis in Gallia pre-
henſiones fugientium debitorum non probentur, tamen qui ita
carceribus mancipatus eſt, ſiue bene, ſiue male, non prius ab il-
lis emittitur, quam ſoluendo cauerit aut ſoluerit, vt ex tempo-
re iudicatum, *refert Papo. lib. 18. Rapſodiæ areſto, tit. 5. areſto 27.* in
ſenatu Pariſienſi 28. Maii 1538. ¶ Et † morib. antiquis receptum 4
quoque fuiſſe, non ſoluentem debitorem coniici in carcerem,
conſtat ex eo, quod ſcriptum eſt apud Matthæum de creditore
immiſericorde, dum dicitur, *D. Matth. c. 18.* ἀπελθὼν ἔβαλεν
αὐτὸν εἰς φυλακὴν, ἕως οὗ ἀποδῷ τὸ ὀφειλόμενον, id eſt, abiens miſit i-
pſum debitorem in carcerem ſeu cuſtodiam, donec reddidiſſet
debitum. ¶ Durior † lex 12. Tabularum, & crudelis viſa Phauo- 5
rino apud Gellium, *lib. 20. c. 1. tracta. & Quintilianus, libr. 8. In-*
*ſtitut. c. 8. & lib. 7. c. 4.* de immanitate ſecandi partiendique cor-
poris humani, ſi viuus debitor ob pecuniam adiudicatus addi-
ctuſque fuiſſet pluribus, per quam artus inopis debitoris bre-
uiſſimo laniatu diſtrahebantur: ſicut nunc bona venum diſtra-
huntur. Nam ea confeſſi æris ac debiti iudicatis, triginta dies da-
ti ſunt, conquirendæ pecuniæ cauſſa, quam diſſoluerent: dixe-
runt iuſtos hos dies decemuiri vt iuſtitium quoddam, id eſt, iu-
ris quaſi inter eos interſtitionem, & ceſſationem quandam, qui-
bus diebus nihil cum iis iure agi poſſet. Poſt deinde, niſi diſſol-
uerant, ad prætorem vocabantur, & ab eo quibus erant iudica-
ti addicebantur, neruo quoque ac compedibus vinciebantur. E-
rat autem interea ius illis paciſcendi, niſi pacti in vinculis habe-
bantur ſexaginta dies. Inter eos dies, tribus nundinis continuis
ad prætorem in comitium producebantur, quantæque pecuniæ
iudicati eſſent prædicabatur: tertiis autem nundinis capite pœ-
nas dabant, aut trans Tyberim peregre venum ibant. Ait autem
Aulus Gellius, hanc pœnam fidei ſanciendæ gratia fuiſſe impo-
ſitam, neque peius facinus habitum quam contra fidem egiſſe:
nunquam tamen aliquē ea pœna punitum fuiſſe, eo quod hor-
ror illius effecit, ne in crimen quis committeret. ¶ Scribit † & 6
Liuius libr. 8. ob repentinum tumultum ex populi concurſu
ortum ex indigno actu a fœneratore facto in C. Publicum æta-
te formaque præſtantem adoleſcentem, qui ſe ei ob æs alienum
paternum nexum dederat conuocato ſenatu negotium conſuli-
bus L. Papyrio, & C. Petilio datum, vt legem ad populum fer-
rent, Ne quis, niſi qui noxam meruiſſent, donec pœnam lueret,
in compedibus aut in neruo teneretur; Pecuniæ debitæ bona
debitoris, non corpus obnoxium eſſet. ¶ Inter † Iudæos & ſer- 7
uituti creditorum mancipatos fuiſſe debitores, ex ſacra pagina
liquet, vt ex Salomone, dum ait, Diues ſapiens pauperibus im-
perat, & qui accipit fœnus, ſeruus eſt fœnerantis, *Prouerb. cap.*
*22.* Et iuſſum exemplum viduæ cuiuſdam id teſtatur, dicentis,
Creditor venit vt tollat, & vendat filios meos, &c. *4. Reg. 4. ad-*
*de, D. Math. c. 18.*

¶ Iura

8 ¶ Iura Romanorum ciuilia poſtrema iſta ſubmouerunt atrocia, cautumq; a Conſtantino, vt nemo carceres, plumbatarumque pondera aut verbera aliaque ſupplicia in debitorum ſolutionibus, vel ab iratis, vel a peruerſis iudicibus expaueſcat, *l. nemo 2. de exactor. tributorum. lib. 10. C. tit. 19.* Quia nulla res eſt rerum corporearum externarum, quæ in debitum venit, quæ poſſit ad pretium corporis humani conferri, vt æquum videri poſſet, corpora pro rebus minus nobilibus torqueri.

9 ¶ Tum † quia liber homo functionem non recipit, *l. 1. §. ſed cum liber homo, de his qui deiece. in P.* tum quia res omnes inſigniter anteit, illiſque præſtat, *l. iuſtiſſime, de ædil. edict.* Et propter hominem res omnes creatæ, ille autem non propter res, *l. in pecudum 28. de vſur. lib. 22. P. tit. 1. in pecudum, de rer. diuiſ.* Et Demoſthenes, *contra Androtionem*, hoc intereſt, inquit, inter liberum & ſeruum, quod ſeruis omnia ſint corpore luenda: ingenuis autem, etſi maxima facinora admiſerint, tamen corpus ſuum tueri licet. Tradit idcirco Panormitanus, *per c. 2. de pign.* neminem ſe ob debitum, vel æs alienum poſſe nexui carcerum obſtringere, quia nemo dominus membrorum ſuorum, *l. liber homo 13. ad leg. Aquil. lib. 9. P. tit. 2.* Et Diocletia. & Maximian CC. ob æs alienum ſeruire liberos creditoribus compelli iura non pati teſtantur, *l. ob æs alienum 12. de act. lib. 4. C. tit. 10.* nec obligari filios pignori, *in l. qui filios, quæ res pign. obl. poſſ. C. l. fi. eod. P.* excepto caſu neceſſitatis famis, *l. 2. de patri. qui fil. diſtrax.* Imo ex Iuſtiniani lege, creditor a debito cadit, & tantundem ei qui retentus, vel parentibus eius dandum ab eo qui retinuit, & ipſe corporalibus pœnis nihilominus a loci iudice ſubiiciendus, *in §. quia vero, vt nulli iudic. liceat habere loci ſerua. li. auth. colla. 2. tit. 9.* Species ſeruitutis carcer eſt, nempe retineri & concludi loco vnde exire liberum non ſit. *l. 2. de libero hom. exhib. lib. 43. tit. 28.* Sed & prehenſio & detentio hominis pro mutuo plus continere videtur quam mutuum, cum pretioſior & melior, vt dixi, ſit omnibus rebus homo: quia omnes res in ſe continet. Fertur namque Prometheus addere principi, id eſt, homini, limo coactus particulam vndique diſſectam, *Horat. lib. 1. carm. od. 16.* vnde epitoma, ad vniuerſi mundi habitum, homo inſtitutus dicitur ab Ariſtotele, *lib. 2. de hiſt. animal. c. 15.* & a Protagora, omnium mēſura, *Plato in Cratylo.* Et plus petit qui corpus hominis pro re debita retinet, *l. 1. de plus petit. C. lib. 3. C. tit. 10.* quod tamen mutuum non patitur, in quo plus quam datum eſt peti non poteſt, *l. rogaſti, §. ſi decem, de reb. cred. P. l. ſi tibi decem millia, de pact. P.* Accedit quod Chriſtiana lex iubet dimittere inopibus debita, ſi nobis a Deo noſtra cupimus dimitti, vt oratio quam dominus nos docuit, admonet: dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris, *D. Matth. c. 6.*

10 ¶ Eſt † conſuetudo quoque generalis Galliarum, vt nemo pro debito ciuili carceribus mancipetur, niſi his ſe nominatim obligauerit, *Ioannes Faber, in §. fin. de actio. Stephanus Aufrerius, in additione fin. 61. quæſt. Tholoſa.* quia valet ea obligatio non iniquis rationibus. Prior, quia indignus eſt beneficio libertatis, qui ſciens prudenſve ad pretium participandum ei ceſſit, *§. ſerui autem, in 2. de ingen. l. 1. quib. ad liberta. procla non lic. in P. l. liberis, & §. ſi quis ſciens, & l. cum pacto. de libera cauſſa, l. homo liber, de ſtat. hom. P.* Dehinc 2. ad fidei cautionē quis ſe in obſidem dare poteſt retinendum, hæcq; obligatio pacis cauſſa recepta iure gentium: quæ tamen non ius ſeruitutis, ſed retentionis tantum prębet. *c. ex reſcripto, de iureiur. ca. expoſita, de arbitris. l. obſides, de teſtamen. c. 2. de pign. vide late Felinum, de his in d. c. ex reſcripto. nu. 7. & 8.* Sed & 3. nemo ambigit, eum qui aliquem ab hoſtibus redemerit, poſſe eundem iure retinere quoad vſq; exſoluatur ei debitum citra tamen pœnalem cuſtodiam, *l. 2. & l. ſi de captiuis, & poſtlim. reuer. lib. 8. C. tit. 51.* neque ideo in legem Fauiam de plagiariis, vel in edictum de libero homine exhibendo, *l. 1. §. ſi quis eum, de liber. homi. exhib. in P.* incidit, iure pignoris, non iure ſeruitutis retinendo *d. l. 2. de poſtlimi. reuer. C.* Et valere conſuetudinem, vt quis ſe obligare poſſit ad carceres pro compulſione ſolutionis mutui, notant Petrus Iacobi, *in praxi. tit. de ceſſio. bon. in fin.* Ioannes Petrus de ferrariis, *in ſua praxi. tit. de exſecutio. ſent.* & ita ſeruari curiis Galliæ ſcribunt Guido Papæus *q. 61. nu. 1.* Ioannes Andreæ, *in c. ex reſcripto de iureiur.* Et Ioannes Gallus, *quæ. 111.* ita deciſum placito curiæ ſupremæ, atque Boerius, *deciſ. 349. num. 7. & 8.* teſtantur. Nec tam lex emolumentum actionis videtur intueri, in eo qui exutus eſt bonis malæ fidei, quam pœnam, vt ait Venuleius, *l. fin. § fi. de his quæ in fraud. cred. P.* Sed & citra obligationem carcerum debitorē fiſci proculdubio, ad ſoluendum moroſi, carceribus mancipari poſſunt: primum tamen interdicitur ne loco exeant aliquo definito, donec ſoluerint, vocant *bailler l' arreſt*, dehinc adhuc ſolutionem differentes in carceres detruduntur, *ſic notat Bart. in l. cum eo, 10. per illum textum, ad leg. Iul. pecu. in P. l. nemo, de exacto. tribu. libr. 10. C. Petrus de Ferrariis, in tit. de exſec. ſent, in 5. remedio.* At priuatorum debitores ex dolo quoque & contumacia nimia, auctoritate quidem propria, & vi obligationis debiti, quæ hunc nexum corporis non habet, detineri & incarcerari nequeunt: ſed auctore iudice, poſſunt, *l. ſi vero de exhib. reis, in auth. l. conſentaneū, C. quomo. & qua. iudex, Ioan. Fab. in §. fi. de act.* & ſi condemnati ſint ſententia, cui non ſatisfaciant, *l. 1. C. qui bonis cedere poſſunt.* Accurſius quoque tradit *glo. in l. 3. §. tutores, de ſuſpect. tutor. P.* carcere debitorem detineri poſſe ob inopiam, ſi non habeat vnde ſoluat, verum ſeruandum prius ordinem exſecutionis, & diſcuſſionis bonorum, *ordo ponitur in l. a D. Pio §. in venditione, de re iud. in P. l. etiam, C. de exſecut. rei iud.* mobilium, ſe mouentium: immobiliū, nominum, & his deficientibus permitti carceres & prehenſionem: quod ſequitur Petrus Ferrarienſis, *in d. tit. de exſecut. ſent.* Inibi tamen creditor debitorem carcere concluſum omnino egenum, officio iudicis alere cogitur: *glo. in l. fin. de eroga. militar. anno. lib. 12. C. Aretin. in §. fin. de actio.* idque & lege 12. *Tabularū cautum, Gellius, lib. 20. cap. 1.* quod & ſeruari in curiis ſcribit Guido Papæus, *quæ. 211. num. 2.* exemplo fiſci, qui ſibi obnoxios carceratos inopes, hoc eſt reos criminū, quos reipublicæ pœnas exſoluere par eſt, *l. ita vulneratus, ad l. Aquil.* tenetur alere donec iudicati fuerint, quod & iudicis ſollicitudini annexum eſt, *l. iudices, 10 de epiſc. audient. C.* quanquam, niſi quia pœna ad exemplum quoquo pertinet, *l. Capitalium, § famoſos, de pœn. P. cum ſimil. & l. 1. de abigeis, P. &c.* expedire dicatur malos fame perire, *l. bona fides, depoſit.* alioquin, ſi creditor alimenta debitoribus renuat, iudex recte illis carceres patefacit, *Aretinus, & Guid. Papæus vbi ſupra proxime.* Singulare tamen eſt quod notat Angel. Aretin. *in §. eum quoque, de actio. in 3. colum. in verbo aduertas,* incarceratum pro debito fiſcali, poſſe commendari a creditore commentarienſi, vt eum pro ſuo priuato debito retineat, ſi eum abſolui a debito fiſci accideret vocant pragmatici, *faire refermer le priſonnier & commander.* Quod & Bartolus, poſt longam in vtramque ſententiam controuerſam probat, *in ſua diſputatione 6. qua incipit, lapſus fuit, & in l. 2. de cuſtod. reorum, in P.* & Guido Papæus. *deciſio. 61. nu. 3.* Ceterum, dum de carceribus loquimur in cauſſa mutui, intelligimus de his tantum, qui ad cuſtodiam, vt fere omnes, eſſe debent, *l. aut facta, §. ſolent. de pœnis, in P. l. verum eſt, de verborum ſignificatione, P.* non de his qui ad pœnam ſunt, *ca. quamuis, de pœn. in ſex.* vel de mala manſione, quæ tormentum continet, *l. item apud Labeonem. 15. §. quæſt. verbo, de iniur. P, lib. 47. titul. 10. l. ſi hominem 7. depoſit.* item de his tantum carceribus, qui publici ſunt, non de priuatis, qui prohibiti, *l. 1. de priua. car. C.*

¶ Sed † & opinor mulieres debitrices pro nullo debito, vel 11 obligatione ſpontanea carceris, prehendi, & carceribus mancipari debere, imo & iudicem qui hoc fieri permiſerit, pœnis ciuilibus & criminalibus caſtigandum, *leg. 1. & authen. ſed hodie, de offic. diuerſ. iudi. lib. 1. C. titul. 49. §. neceſſarium, vt nulli iud. liceat hab. loc. ſerua. in authen. l. quoniam & authen. ſequen. C. de cuſtod. reor.* Pudicitia enim matronalis, & ſexus fragilitas hoc ne fiat ſatis admonet: cum mulier, propter honeſtatem vitæ, ſe monſtrare viris non conſueuerit, *§. 1. verſ. ſi vero mulier, vt litigan. iurent, in exor. lit. colla. 9 in auth.* Caius impuberes & puellas, quæ alieno iuri ſubiectæ ſunt, in ius vocari poſſe negat, *leg. neque impuberes, 22. de in ius voc. P.* & ob verecundiam mulieri hac in parte parcitur, *in l. 2. §. ſin autem de iureiur. propter calumniam dan. C.* Niſi mulier probata fuiſſet publica negociatrix, quia tunc poteſt in carcerem pro debito detrudi, vt placuit ſenatui Pariſienſi, teſte Ioanne Lucio, *libr. 10. placit. titul. 5. areſto. 1.* In conſtitutionibus Molinenſium cautum ad præcidendas lites, vt omnes condemnationes pecuniarum, vel iudiciorum decreta, quam citius fieri poſſit ſortiantur effectum, omni iuris remedio & coactione: & ſi intra quatuor menſes a condemnatione inſinuata ipſi reo, vt aiunt, perſonaliter, vel ad domicilium, is non ſatisfaciat, comprehendi & carceribus mancipari poſſit, & inibi detineri, donec vel fecerit ſatis, vel bonis ceſſerit, & ſi prehendi non poſſit, vel creditor prehenſione vti nolit, iudex ſoluendi contumaciam poſſit in duplum vel triplum debiti reum debendi damnare, *in conſtitutio. reg. Molinenſium, artic. 48. lata anno 1566. menſe Februar.* Apud Ægyptios cautum adfirmant, vt vltra bona &

Pp 2

res debitoris, nulla in corpus animaduerſio foret: nam pecuniæ creditæ bona, non corpus dixere obnoxium. In vſu tamen erat illis, defunctorum corpora vnguentis delibuta, ac ſi viui eſſent creditori oppignorare, & ſuper iis fœnerari, magno dedecore eorum qui conſtituta die non reedmiſſent: non permittebant autem pro vſuris in carcerem duci, vel pro mutuo, *trad. Diodor. Siculus lib. 2. Biblioth. cap. 3.* nec corpus addici creditori. Placuit etiam curiæ Pariſienſi 19. Aprilis 1550. non licere creditoribus prehendere debitores cum ignominia, vel ideo poſſe turpiter alligari, nec efficere poſſe in carcerem ita reuinctos duci, nec prehendi alterius quam ſui iudicis auctoritate: & qui ſecus faxit, damnum, & quanti debitoris interſit rependere teneatur, *Papus, libr. 18. Rhapſo. areſto, titul. 5. areſto 5.* Item, ne is qui carceribus ex ſigillo Pariſienſis vel Montiſpeſſuli curiæ, alibi carcerib. mancipetur, quam loci ſui domicilii, neque inde alio transferatur, *areſto 1551. 21. Nouembr. Papus vbi ſupr. areſt. 6.* Baldus quoque notat, *in leg. apertiſſimi, C. de iudic.* non ideo ſuſpectum haberi de fuga debitorem, quod talem eſſe iurauerit creditor. Et Angelus, non ſufficere ſuſpicionem de fuga, niſi cõcurrant cum illa ſex, *Ang. in l. ſi ab arbitro, §. qui ex cauſſa, qui ſatiſdat. cogant. P.* Nempe quod conſtet de debito, eoque liquido, *leg. 1. de prædiis decur. libr. 10.* quod probetur ſuſpitio per duos teſtes ſummarie: tertio, quod ſuſpitio nuperrime orta ſit, quæ non fuerit tẽpore debiti. Nam qui alienigenæ primo mutuauit, & poſtea eundem, vt alienigenam ſuſpectum facit, non auditur, *Bald. in l. & qui. de bon. auctor. iud. poſſ. C.* Quarto, item ſi tempore contractus erat diues, nunc pauper, non etiam ſi pauper cum contraheret, *dict. l. ſi ab arbitro, §. qui ex cauſſa, vt item l. qui bona, §. de illo, de damno infect.* Quinto, vt non habeat immobilia vbi habitat, aliter contra, *l. ſciendum in princip. & §. poſſeſſor, qui ſatiſd. coga.* Sexto, quod ſtatim vbi ſciuerit ſuſpectum creditor debitorem petat incarcerari: nam ſi diu tacuerit, non licet, *l. ſi creditores, de priuil. credit.*

## De Dilationibus ſolutionis mutui, & aliorum debitorum. Cap. 7.

1 *Debitoribus quæ quando datur, & cur a iudice dilatio.*
2 *Annale quid debitorum.*
3 *Quinquennale debitorum quid, & quando detur, & eius vis.*
4 *Cedere bonis non poteſt, qui impetrauit quinquennales inducias.*
5 *Ceſſio bonorum non poteſt impediri a creditoribus.*
6 *Bancharii ſeu menſarii ſolum vertentes, non vtuntur beneficio quinquennalis dilationis, vel ceſſionis.*
7 *Dilationis biennalis, vel quinquennalis moratoriæ cauſſa.*
8 *Creditoris officium Chriſtianum.*

1 IVdex † qui medius eſt inter inſtantiam ſeu perſecutionem creditorum, & moram debitorum, ſua ſententia ſtatuit ſolutionis terminum, & dilationem debitori concedit ex æquitate, vt poſſit pecunia facilius cogi, & minori cum incommodo: danturque vel decem dies, *l. ſi debitori de iudiciis, P.* vel aliud tempus, pro ratione perſonarum, ſummæque, *leg. 2. & in l. debitoribus, de re iudicata, P. l. promiſſor. de conſtitut. pecun. P. gloſſ. in §. ſi. de inutili. ſtipul. glo. in §. omnis ſtipulat. in verbo confeſſum, de verborum obligation.* interdum quadrimeſtre, *leg. 2. & 3 de vſu. rei iud. C. ca. quærenti, ca. 26. de offic. iud. delegat. libr. 1. P. titul. 29.* quod datur a tempore condemnationis & ſententiæ, ſi ab eo non ſit prouocatum: & ſi prouocatum, a die confirmationis, *leg. 2. de vſur. rei iud. P.*

2 ¶ Interdum † annus, cum cauſſæ tamen cognitione, *dict. cap. quærent.* & quinquennium aliquando datur, ſed volentibus cre-
3 ditoribus, vel maiori eorũ numero. ¶ Nam † quinquennium petitur, cum debitor paratus eſt vel bonis cedere, vel inducias quinquenni poſtulat, quibus pendentibus & debitores in eodem ſtatu manent, vt non poſſint vllo modo a creditoribus moleſtia affici, vel in ius vocari, vel incarcerari: manent & iura creditorum in eodem quoque, vt omnis præſcriptio aduerſus eos ſuſpendatur. Proinde omnes creditores debitoris, qui quinquennium petit vel ceſſionem offert, vocandi ſunt antequam concedatur, *leg. fin. qui bonis cedere poſſunt, lib. 7. C. tit. 72.* a iudice alterum eorum. Solebant olim in Gallia, eius rei gratia, impetrari codicilli ſeu literæ ab officina æquitatis ſeu regia cancellaria, dicebantur literæ annales, & quinquennales. Placuit tamen Pincipi in comitiis Aureliacenſibus, non eſſe opus remedio illarum literarum, nec amplius a cancellaria impetrandas: ſed iudices ordinarios per ſupplicationem petentis, vocatis creditoribus, & conſenſu illorum ſecundum iuris regulas exquiſito, cauſſa cognita an concedi oportet, ſtatuere poſſe, *in comitiis Aureliacenſibus, art. 61. conſtitut.*

¶ Expedit autem † creditoribus potius inducias concedere, 4
quam ceſſionem admittere: eo quod inducias quinquennales concedendo, iam renuntiaſſe cenſentur beneficio ceſſionis debitores, vt nec elapſo quinquennio eo vti poſſint, ſed carcere concludantur, *gloſſ. fin. in leg. fin. C. qui bon. cedere poſſunt.* Quæ ſunt autem ceſſionis beneficia, intelliges Deo iuuante, ex illis quæ in ceſſione bonorum dicemus.

¶ Ceterum † in electione debitoris eſt, vel vti quinquennali 5
dilatione, vel ceſſione: quo fit, vt ſi creditores offerant petenti ceſſionem, vel inducias quinquennales, vel velint ſuper debitum componere, debitor inuitus non cogatur a voluntate ceſſionis abire, ſed nolentibus creditoribus admittatur. *Salycetus, in leg. final. Cod. qui bon. cedere poſſunt, Angel. Aretin. in §. fin. de action. num. 8. per l. 1. Cod. qui bon. cedere poſſunt.* ¶ Exſtat † conſti- 6
tutio Caroli quinti Cæſaris in comitiis Auguſtæ Vindelicorum habita anno domini 1548. *artic. 22.* edita in odium menſariorum, qui cum fraude & periculo multorum ſedes vertunt, dicuntur *faire Banqueroute*: contraque inſtitores vel negotiatores doloſos, qui conſulto, ſine infortunio, magno reipublic. detrimento, & creditores fraudant, & confugiunt in alteras nationes: qua ſtatutum, vt comprehendantur, carcereque caſtigentur vt fures, & reſpondeant creditoribus, nulla habita ratione τῶν χαλυμένων λόγων, id eſt, vt vulgus loquitur, ſalui conductus, [ *Alciatus enim vult τȣ̀ς χαλυμένȣς λόγȣς eſſe, quod dicimus ſaluum conductum, ſeu fidem publicam eſſe in auth. de mand. prin. §. ſed neque. Alciatus, libr. 7. Parergon. cap. 7. & libr. 8. Parerg. cap. 2.* ] vel fidei publicæ datæ itineris non impediendi: prohibitumque, ne poſthac illa moratoria quinquennalia cõcederentur ab alio, quam a principe Imperatore, qui ante conceſſionem inſtitueretur a magiſtratibus locorum vbi habitarunt iſti mercatores, vel inſtitutores qui illi ſupplicant, & ad inopiam caſu ſe redactos profitentur, de caſibus fortuitis: vel niſi alio modo per teſtes idoneos, de iiſdem prius fidem fecerint: alioquin reſcripta hac de re, veritate ſuppreſſa, irrita eſſe.

¶ Et certe † moratorias illas dilationes maiores, iure ciuili 7
impetratas fuiſſe annotaui, quæ etiam inuito creditore inducias præberent, *l. quoties, 2. de precibus Impera. offeren. libro primo, C. titul. 22.* Theodoricus Gotthorum rex ſcribens Fauſto præpoſito, Sipontinis negotiatoribus, qui ſe dicebant hoſtium populatione vaſtatos, concedit priuilegiũ, ne per annos duos continuos a creditoribus poſſent fatigari: quatenus his induciis & datam poſſent reparare pecuniam, & aliquatenus debitorum valeat reſpirare ſubſtantia. Quid enim, inquit, proficit debitorem vrgere, quando in caſſum nudatos nititur exigere? quibus, magis proſpicimus ſi ad mutuata ſuſtinendo peruenire faciamus, *Caſſiodorus, libr. 2. Variar. epiſtol. 38.* Aſperrima in Sardianos lues, plurimum miſericordiæ in eoſdem tribuit: nam centies ſeſtertium pollicitus Cæſar Tiberius, & quantum ærario, aut fiſco penderent, in quinquennium remiſit, *Corn. Tacitus, libro 2. annal.*

¶ Vlpianus † Chriſtiane tradit, creditorem, etſi is ſit reſpu- 8
blica, præbere ſe debere exactorem non acerbum, vel cõtumelioſum, ſed moderatum, & cum efficacia benignũ, cum inſtantia humanum, *Vlpianus in l. ſi bene collatæ, 33. de vſur. lib. 22. P. tit. 1.* Et prohibita, per Nouellam Valentiniani Cæſaris exactoribus publicorum vectigalium, dura exactio a ciuibus velut ab hoſtibus, ſtatutumque potius iuſtitia, & miſeratione debita finiri, *in Nouellis Valentin. excuſis cum fragmentis Codicis Gregoriani, Hermogeniani, & Theodoſiani, tit. 7. de indulgentiis.*

## De Ceſſione bonorum. Cap. 8.

Lib. 42. P. titul. 3.
Lib. 7. C. titul. 71.

1 *Ceſſio bonorum in duplici differentia.*
2 *Ceſſio bonorum quid erga creditores.*
3 *Quotuplex cum infamia, & ſine infamia.*
*Ceſſioni faciendæ quid conſiderandum. eod.*

4 *Cedenti*

4 *Cedenti quæ relinquantur.*
*Veſtis quæ relinquenda ſit cedenti bonis eod.*
5 *Zona cedentibus bonis quare adimitur.*
6.8. *Cedens poſt ceſsionem quatenus conueniri poteſt in poſtea quæſitis.*
7 *Ceſsionis beneficium, ne conueniatur quis vltra quam poßit facere in quæſitis poſtea, non competit contra creditores poſtea factos.*
9 *Cedens bonis quæ retinere poßit bona.*

1 DVæ † ſunt ſpecies ceſſionis bonorũ: vna, dum quis pro de-
relicto habet bona ſua, & a ſe abdicat ea mente, vt nolit eſſe
amplius dominus, *l. 1. pro derelict. in P. lib. 10. 41. tit. 8. l. ſi quis vi. §.*
*differentia, de acq. poſſ.* cuiuſmodi & ſunt ceſſiones actionũ cum
in alium iura noſtra transferimus, *l. penul. & fin. manda. C. nos et-*
*iam, de iſtis libro ſuperiore, ca. 20. de nouationibus.* Eſt & ſimilis illa
ceſſio, qua quis res, pro quibus cõtrouerſia eſt, cedit & relinquit
actori, vt in tributoria actione receptum eſt, *l. illud, § quod tamen,*
*de tributor. P. l. 4. §. ſi. de alien. iudic. mu. cauſ. fact. in P.* Species al-
tera, de qua hic tantum agemus, dum oppreſſus inopia debitor,
cumque facultatibus deſtituitur, & nihilominus inſtant credi-
tores & vrgent, beneficium hoc habet vltimum a iure cõceſſum,
vt bonis ſuis cedat ſponte confeſſus debitum.
2 ¶ Eſt autem † ceſſio bonorum, profeſſio voluntatis, *l. in omni*
*6. qui bon. ceder. poſſ. C.* debitoris æs alienum confitentis, *l. pen. de*
*ceßio. bon. in P.* ſe relinquere bona ſua creditoribus, & a ſe abdi-
care vt beneficio iuris vſus a moleſtiis eorum eximatur, *l. 1. 4. &*
*7. C. qui bon. cede. poſſunt. nou. 135. glo. in l. penult. de ceßio. bon. P. glo.*
*in l. 5. qui bon. ced. poſſ. C. Bal. in §. fin. de action. apud Iaſtin.*
3 ¶ Duplex, † & ſine infamia, ex iuris communis beneficio, &
cum infamia, ſecundum diuerſarum regionum mores, vt paulo
poſt latius dicendum, Deo fauente. Conſideramus hic & res,
perſonas, formam cedendi, cuius debiti fieri poſſit ceſſio, ob
quem finem, & cauſſas & rationes. Ceſſio bonorum de omni-
bus bonis fit, vt nec denarium ſolum debeat debitor ſibi retine-
re, & excutiatur omnis res debitoris, vſque ad baculum, & pe-
ram, vt ſcribit Petrus Iacobi, *in praxi tit. de ceſſ. bon.* & ſi is retineat
denarium, nec ceſſionem valere tradit Baldus, *in l. fin. qui bon. ced.*
*poſſ.* & Iaſon. *in §. fin. num. 27. de action.* relinquuntur tamen ce-
denti veſtes quotidianæ, quas defert ſecum dum cedit, quemad-
modum & damnato ad mortem, *l. diuus, de bonis damnator. P. de*
*cuius explicatione vide Cælium Rhodigi. lib. 3. cap. 26.* Et hæc eſt
communis opinio, quam probat Cynus, *in l. 1. qui bon. ced. poſſ.*
*C.* & Imola, *in c. Odoard. de ſolutio.* quia nec in obligationem ge-
neralem cenſetur venire veſtis, *l. obligatione generali, de pign. P.*
& ſi debitor carcere cõcluderetur, relinqueretur ei veſtis, *l. ſi vi-*
*ctum, de re iudicata, iuncta l. verbo victus, de verbo. ſign. P.* nec ho-
neſtum, nec Chriſtianum quoque inferre, cum turpis ſit nudi-
tas, *l. cum ſupra, & l. non patim. de curſu public. lib. 12. C. vide quæ*
*dixi de nuditate, lib. 40. Syntaxeon, in pudicitia.* Petrus Iacobi ta-
men tradit, relinquendam eſſe tantum veſtem viliorem, & de-
pilem, ceteras cedere creditoribus, qui contendunt de damno
euitando, & de recuperatione propriorum, *vbi ſupra.* In ſymbo-
lum quod omnibus bonis ſe exuerint debitores.
4 ¶ Soluitur † etiã hodie illis zona, more antiquo ſignato, quo
potiſſimum milites, quicquid haberent æris in zonis ferrent:
vnde apud Aulum Gellium, *lib. 15. cap. 12.* Caius Gracchus, zo-
nas, inquit, quas plenas argenti extuli, eas ex prouincia inanes
retuli. hinc & is dicitur zonam amiſiſſe, qui nihil ex bonis reli-
qui habet, vt Horatius, *lib. 2. Epiſtol. epiſt. 2.* Ibit eo, quo vis, qui
5 zonam perdidit. Adimuntur † cedenti itaque bona omnia, quæ
tempore ceſſionis habet: porro in his quæ poſtea quæſiuit, ex
ceſſione hoc conſequitur beneficium, vt conuentus tantum de-
bitoribus teneatur, deducto eo quod victui eius neceſſarium eſt,
*ita intelligenda, l. qui bonis, de ceßio. bon. P. Innoc. in d. c. Odoard.* Et
ita ſubductis ex poſtea quæſitis alimentis, omnia creditoribus
dantur. Inhumanum namque inquit Iuſtinianus, *§. fin. de actio.*
viſum eſt, ſpoliatum fortunis ſuis in ſolidum damnari, ſicut &
Venuleius iniquum putat, in eum actionem dari, cui bona abla-
ta ſunt, *in l. ſi. § pen. de his quæ in fraudem cred. lib. 42. P. tit. 9.* Sin-
6 gulare † tamen annotandũ eſt, nec acquiſita poſt ceſſionem ob-
noxia eſſe creditoribus, ſi debitor ceſſionem fecerit infamem,
*not. glo. in §. ſi. de actio.* ſi ad pinguiorem fortunam peruenerit, vt ſi
nudato ano inſediſſet lapidi cedendo, quia iam pro debito ciui-
li, pœnas videtur luiſſe corporales, *per glo. in ca. ſicut dignum, §. hi*
*quoque, verſ. ſi habet, de homicid. & in c. peccatum, de reg. iur. in ſex.*
Quod cõfirmat etiam Guido Papęus, atque tradit hanc formam
ceſſionis infamem eſſe, *deciſio. 343.* ex conſuetudine curiarum
Lugdunenſium & aliorum locorum. Quod non ſeruari quidam
putant, quod placuerit ſenatui Pariſienſi, *areſto lato, 1143. 18. Sept.*
*probat & l. debitores, ex quib. cauſ. infam. irrog. C.* ceſſionem, cum ſit
beneficium iuris non infamare. Ego vero vel modum infamem
cedendi tollendum putarem, vt arbitror ſenſiſſe ſenatum, vel re-
manente forma infami, creditorib. ſufficere debere, quod igno-
minia, quæ maioris eſt ponderis omni ære, *l. iſti quidẽ, quod met.*
*cauſ. in P.* debitores affecerint. ¶ Aliud † ſingulare cõtra ceden- 7
tes, ne ii vti poſſint exceptione, ne conueniantur poſt ceſſionem
vltra quam facere poſſint, deductis alimentis, aduerſus eos cre-
ditores, cum quibus poſt ceſſionem contraxerint, *Petrus Iacobi*
*in titulo, de ceßio. bonorum, argumen. l. ex contractu, de bonis auctor.*
*iudic. poſſid. C.* Quam ſententiam probat Iaſon, Ioannes de Pla-
tea, Ioannes Faber, Iacobus Aretinus *prædicti interpret. ad §. ſi. de*
*actio.* Et argumento eſſe poteſt, quod filiusfamilias tenetur &
cõuenitur de his, quæ contraxit, cum eſſet in patris poteſtate, in
quantum facere poteſt in ſex caſibus, *l. qui ponuntur, in l. 2. quod*
*cum eo. P.* Et tamen in his quæ poſtea contraxit, in ſolidum te-
netur, *l. 3. eod. tit. quod cum eo. P.* ¶ Poteſt † tamen debitor re- 8
nuntiare huic priuilegio cedens, vt poſſit conueniri vltra quam
facere poſſit, non deducto ne egeat, *Bald. l. 1. qui bon. ced. poſ. C.*
*Guid. Papæus, quæ. 211. Aretin. §. fin. de act.* ¶ In † ceſſione bo- 9
norum omnium, retinent cedentes bona eis relicta teſtamento,
cum prohibitione alienationis: item feuda, nõ tamen vſumfru-
ctum eorum, vt notat Baldus *in l. 1. verſic. nunquid ille qui cedit bo-*
*nis, qui bon. ced. poſſ. C.* quia vſufructuarius vſumfructum quan-
diu vixerit in alium transferre poteſt, *l. arboribus 17. de vſufruct.*
*lib. 7. P. tit. 1.* reſoluto tamen iure dantis, & ius accipientis reſol-
uitur, *l. lex vectigali, de pign. P. l. 8. §. fin. quibus modis vſusfruct.*
*amitta. P. l. ſi propter, C. ne filius pro patre, §. finitur, de vſufruct.* In
ceſſione bonorum patris non veniunt bona filiorum, *leg. 3. C. qui*
*bon. ced. poſſ.*

## De Perſonis & qui cedere bonis poſſunt. Cap. 9.

1 *Cedere bonis quis poßit.*
2 *Ceßio ſponte debet fieri.*
3 *Verba temere prolata non ſemper nocent.*
4 *Cedere non poſſunt bonis qui non habent bona, nec habere poſſunt.*
5 *Clericus an poßit bonis cedere: & quomodo.*
6 *Bonis cedere an poßit miles.*
7 *Scholaſticus cedens bonis retinet libros.*
*Libri ſcholaſticorũ num poßint capi vel retineri pro eorum debitis? eod.*
*Libri ſcholaſticorum non tenentur pro hoſpitii mercede. eod.*
*Libros, ſcholaſtici boni, tanquam vxorem diligunt. eod.*
*Libros ſcholaſticorum comburentes laqueo ſuſpenſi ſunt. eod.*
7.8. *Conueniri & condemnari quæ perſonæ non poſſunt, vltra quam facere poſſunt.*
9 *Cedere bonis perſonæ quædam non coguntur, poſſunt autem ſi velint.*
10.11. *Aliæ etiam ſi velint, non poſſunt.*
11 *Argentariæ menſæ & argentarii vbi Romæ, & de fraudibus eorum.*
*Menſarii qui. eod.*
*Collybus, collybiſtæ, campſores. eod.*
*Tabernæ argentariæ publicæ vbi, & a quibus exſtructæ. eo.*
10.11.12. *Banqueroterii a ceßione bonorum reiecti, & puniti.*
13 *Decoctores bonorum ſeu prodigi arcentur a beneficio ceſſionis bonorum.*
*Ceßio bonorum denegatur prodigis. eod.*
14 *Spoliatoribus.*
15 *Iis quibus lex negat.*
16 *Alienigenis in Gallia.*
17 *Deportatis, bannitis.*
18 *Voluntarie turpibus.*
19 *Si non placeat iudici.*
20 *Qui contraxit ſciens ſe non eſſe ſoluendo.*

IN † perſonis quæ poſſint cedere conſtituimus omnem debi-
torem cedere poſſe, ſiue is paterfamilias, ſiue filiusfamilias ſit, 1
*l. cum & filiifamil. 7. C. qui bon. ced. poſſ.* quia filiifamil. bona ha-
bere poſſunt: quæ patri non quæruntur, vnde & qui habent ali-
quid cedunt, & qui nihil habent, cuiuſcunque ſexus ſint, mares,

vel fœminæ ad flebile ceſſionis adiutorium confugere poſſunt,
dict. leg. cum & filiifamil. quia & habere poſſunt, & illis hoc pro-
derit, vt ſi quid quærant poſtea a carceribus liberi, non conue-
niantur in ſolidum, dict. leg. cum & filiifam. quamuis in mulieri-
bus nunc ſubſiſtant, vtpote quæ iure nouo, vt ſuperiori c. diximus
per authen. ſed hodie. C. de offic. diuer. iud. auth. hodie, de cuſtod. reo-
rum. carceribus pro ciuili debito concludi nequeant. ¶ Opor-
2 tet † autem ceſſionem fieri a volente, l. in omnib. C. qui bon. ced.
poſſ. & in voluntate perſeuerante. Nam qui dixit velle bonis ce-
dere, poteſt pœnitere re integra, l. 2. C. eod. qui bon. ced. poſſ. l. quem
pœnitet, & l. is qui bonis, l. 3. eod. in P. I. Antequam reipſa cedat,
quemadmodum, ſi priuſquam res pignorata diſtraheretur, de-
bitor debitum conſignauerit & depoſuerit, impeditur venditio,
non aliter, l. ſi pign. & l. ſi reſiduum, de diſtra. pign. libr. 8. C. tit. 28.
veluti re non exſiſtente integra, vt in ca. in cauſſis, §. fin. de elect.
3 ¶ Sic † enim excuſatur quis a temeritate, quæ alicui non nocet,
vt in l. ſi quis ſuus 8. de iur. deli. 28. P. tit. 8. & temeritas facilitatis
veniam continet, vt inconſultus calor calumniæ vitio caret, can.
ſi quem, §. notandum 2. q. 3. & ſæpe in aliis temere facta, ſine ali-
quorum tamen detrimento, reuocari poſſunt. vt in l. 3. de diuor.
in P. l. famoſi, ad legem Jul. maieſta. P. l. quod calore de regul. iur. in
P. l. ſi quis libellos, de appellat. libr. 7. C. tit. 62. Ita re integra quis a
conſenſu diſcedere poteſt præſtito, qui a ſe vno dependet, leg. ſi
quis, in prin. de leg. 1. potiſſimumque hoc verum, ſi debitor ſolu-
tionem offert, quia ea tollitur omnis obligatio, §. 1. quibus mod.
toll. oblig. Et re integra reuocatur recte mandatum, §. certe man-
dati. cum nihil interſit mandatarii, l. ſi pecuniam, de condict. cauſſa
dat. libr. 12. P. tit. 4. l. verum §. fin. pro ſocio, l. 1. §. penult. depoſ. &c.
Quamobrem quoque, ſi lite pendente debitor poſtulat ſe ad-
mitti ad ceſſionem bonorum, eaque de cauſſa vocarit creditores,
poſſunt nihilominus interim mandari actiones contra eum ex-
ſecutioni: niſi conſtaret iudici, debitorem ad beneficium ceſſio-
nis prouocantem nulla habere bona, in deciſione Tholoſana Ca-
4 pellæ 28. ¶ Qui † non habent bona, neque habitu, neque poten-
tia, id eſt, qui nec poſſident propria, nec poſſidere poſſunt, non
poſſunt cedere, vt not. Angelus, in l. pen. C. qui bon. ced. poſſ. cu-
iuſmodi ſunt perſonæ eccleſiaſticæ regulares, quibus propria
ſeparatim habere inhibitum eſt, c. cum ad monaſterium, de ſtatu.
mona. c. Ioan. de reg. ¶ Poſſunt † itaque alii clerici, & eccleſiaſti-
5 cæ perſonæ qui proprium habent, vel habere poſſunt, bonis ce-
dere, vt putant ex ca. Odoard. de ſolut. colligi, glo. in ca. Odoard.
de ſolut. l. 3. Decr. tit. 23. vbi tamen de ceſſione nulla mentio, niſi
pro ceſſione dicamus quod ibi ſcribitur Clericum non ſoluen-
do ſi iuret ſi ad pinguiorem peruenerit fortunam ſe ſoluturum,
non debere excommunicari, & excommunicatum abſoluen-
dum. Secundum tamen Ioannem Imolenſem fructibus ſui be-
neficii cedet, ſine famæ ſuæ iactura, in d. ca. Odoard. ap. num. fin.
Quanquam & idem notet aduerſus ſententiam Panormitani, &
gloſſæ, his clericis datum beneficiũ ne conueniantur vltra quam
facere poſſint idem ab Imol. eod. num. 5. quod probarem in ec-
cleſiaſticis perſonis: quia nec illæ poſſint pro debito ciuili in
carcerem detrudi, ſed excommunicari, vt ſcribit Ioannes An-
dreæ, in c. fin. clericus, de ſentent. excommunic. in ſext. in nouell. qui
ſentit. quem ſequitur Panormitan. in c. Odoardus, nu. 3. Iſque tra-
dit, non eſſe cogendum clericum cedere bonis, eo quod a cleri-
co debitore omnia non ſint extorquenda, ſed debet ei relinqui
vnde viuere poſſit, Panor. in d. c. Odoard. num. 8. cui & conſentit
iuris pontificii vulgaris interpres, glo. in c. ſtudeat 50. diſt. Nec
propter mendicitatem & inopiam alimentorum conuertatur
in contumeliam cleri ad turpia lucra, can. reatum 84. diſt. ad quæ
paupertas cogit, l. palam de rit. nupt. P. l. ſpadonem, de excuſa. tuto.
6 ¶ Quare † nec armatæ militiæ miles, ſecundum eundem Panor-
mitanum, in dict. cap. Odoard num. 8. adigitur ad ceſſionem bo-
norum, quod & hic habeat beneficium, ne conueniatur niſi in
quantum facere poteſt, & deducto ne egeat, leg. item miles, de re
iudic. in P.

7 ¶ Notat † & Baldus cedenti bonis ſcholaſtico non poſſe au-
ferri libros, non magis quam militi armatæ militiæ arma, Bald.
ad rub. qui bon. ced. poſſ. Quia ſcholaſticorum arma, libri ſunt, gl.
in l. nepos Proculo, de verb. ſign. videlicet ne ſtudium deſerat, cum
& interſit noſtra libros habere, per quos doctrina & ſcientia re-
pleamur, & meliores reddamur, l. penul. ad exhib. P. Quo fit vt
libri eorum nunquam capi vel retineri poſſint pro eorum debi-
tis, niſi ſcholaſtici mortui ſint, vel diſcoli: tunc enim pro impen-
ſis funeris, & ceſſante cauſſa priuilegii, ceſſabit diſpoſitio, expreſ.
Bal. in l. in reſtituenda, & in l. fin. commod. Petrus de Vbald. in tra-
ctatu, de duob. fratrib. 11. parte, q. fin. facit, in arg. c. cum ceſſante, de
appell. ſicuti & pro expenſis victus ſcholaſtici, eius libros retineri
poſſe putat Bartolus, in l. ſi non ſortem, §. ſi centum. de condi. indeb.
P. Rebuff. in lib. de priuil. ſcholaſticor. priuileg. 113. ſi fiat etiam de-
ſertor ſtudiorum, quia & tunc priuilegiatus non eſt, ſed alienus
a beneficio, vt deſertor militiæ, l. deſertorem, de re milit. P. non
aliter, vt neque libri eius ab hoſpite pro hoſpitio retineri poſ-
ſint, ſeu pro eius mercede, Angelus, & Iaſon in §. item Seruia-
na, de action. Ceſſatque iuris communis diſpoſitio, quo inue-
cta in prædium vel domum locatam, cenſentur tacite obliga-
ta pro mercede, in §. item quia, de pact. P. l. terta, & toto titulo. in
quibus cauſſis pignor. vel hypothec. tacite contrah. l. certi iuris, Cod.
de loca. etiamſi ad tempus non conduxiſſet hoſpitium, ſed vna
tantum nocte in eo habitaſſet, Alex. in l. diuortio, §. ob donationem,
in fin. ſol. matr. Quæ enim veriſimiliter obligari non ſolent, non
veniunt in generali obligatione, l. generaliter, de pign. l. 1. quæ res
pign. obl. poſſ. Scholaſticus autem bonus cum libros ſuos, tan-
quam propriam vxorem, & amplius quam amaſiam, aut pro-
prium corpus, vt ait Ioannes Faber, in §. iniur. de iniuriis, diligat,
non cenſetur eos voluiſſe vnquam obligare. Refertque Rebuf-
fus anno 1525. ex placito curiæ Tholoſanæ, laqueo ſuſpenſos qui
ſcholaſticorum libros combuſiſſent, huiuſque ſe fuiſſe teſtem
oculatum negotii, Rebuffus, de priuileg. ſchol. priuileg. 19.

¶ Extendunt † & interpretes iura, quæ militibus concedunt, 8
ne conueniantur ſupra quam facere poſſunt, ad ipſos aduoca-
catos, & clericos milites cœleſtis militiæ, gloſſ. in leg. milites, de re
iudic. P. ita iudica. in eccleſiaſticis perſonis Pariſi. 19. Decem. anno
1513. Papus, lib. 18. Rhapſo. areſto. tit. 5. areſt. 4. milites namque
ſunt & aduocati, leg. aduocati, de aduoca. diuerſor. iudicum. l. forti
tui, de aduoca. diuerſor. iudicior. C. & eccleſiaſticæ perſonæ, ca. re-
prehenſibilis, 32. q. 8. ca. Chriſtianus 11. q. 1 l. ſacroſ. de ſacroſan. Ac-
cedit quod militibus ſtipendia retineri non poſſunt propter de-
bita, illis etiam ſententia condemnatis. ſtipendia, l. 4. de exſecutio.
rei iudica. l. 7 C. tit. 53. Sunt & aliæ perſonæ quæ non ſunt tanto
fauore dignæ ac eccleſiaſticæ quæ vltra quã facere poſſint con-
ueniri nequeunt: vt maritus, ſocrus, patronus & aliæ ſimiles, leg.
inter eos, cum 4. ſequen. de re iudic. P. neque pactum de ea re in
contrarium valet, l. alia cauſſa, §. eleganter, ſolut. matr. P. Debent
& eſſe priuilegia actoris & rei, quod fieri poteſt in iudicio com-
muni, vt quod iuris quis in alium ſtatuerit, hoc & ipſe vtatur, l.
1. quod quiſque iur. in P. Eccleſia autẽ debitores ſuos, vltra quam
facere poſſunt non debet conuenire, glo. in ca. quicunque, in 1. 16.
quæſt. 7. can. quicquid, 16. quæſt. 1. c. non ſatis 86. diſtinct. æquum
itaque eſt ne ea debitrix a ſuis creditoribus conueniatur duriori
modo.

¶ Verumtamen † ita receptum eſt, vt quamuis clericus & ec- 9
cleſia non cogantur cedere bonis, poſſint tamen amitti, ſi ve-
lint, §. ſi quis autem. ibi, res omnes velint creditoribus cedere, vt de-
termi. ſit numerus cleric. in authent. Angelus Aretinus in §. fin. num.
12. de actio. Idipſum & permiſſum eſt vniuerſitati cuilibet, vt
ſcholaſticorum, fabrorum, & ſimilium, l. 4. verſ. actor. de re iu-
dica. P. l. fin. & ibi interpret. de iuriſdict. omn. iud. l. fin. & ibi Barto.
de colleg. illic. P.

¶ Excipiendi † autem ſunt, qui non poſſint cedere, etſi velint, 10
breuiter. Primum enim tradunt non eſſe admittendos ad bene-
ficium ceſſionis, eos qui in fraudem creditorum alienarunt. Bal.
in §. fin. & §. item, ſi quis in fraudem, de actio. facit l. fin. §. fi. quæ in
fraud. creditor. in P, exſtat caſus in l. iure promiſſum, 5. de fabricenſi,
libr. 11. C. tit. 9. Nemini enim fraus & dolus patrocinari debet,
l. 1. & l. ne ex dolo, de dol. in P. l. non fraudantur, de regul. iur. in P.
Eadem ratione ſecundo reiiciuntur ab ea, qui ſpe ceſſionis futu-
ræ contraxerunt, ſi de ea voluntate liquido appareat, Guiliel. Be-
nedictus, in 3. parte. in quæſtio. an occidere peccatorum liceat, nu. 37.
facit Felinus, in c. fin. de teſti.

¶ Tertio loco, † & menſæ argentariæ euerſores, qui dicun- 11
tur Italis banquefalliti, Gallis bãquerotiers beneficio hoc nõ gau-
dent, propter dolum, cum ceſſio miſerorum ſit, Bald. conſi. 219.
vol. 3. incip. inſuper libris theſauraria. Boer. dec. 215. nu. 5. Iſti quippe
cedunt foro doloſe, & multorum pecuniis interceptis contra
fidem publicam, quam dederunt, cum multorum pernicie ſo-
lum vertunt, hoſque quos Vlpianus dicit foro cedere, l. ſi homi-
nem, 7. §. quoties foro depoſit. in P. libr. decimo ſexto, titul. tertio,
Paulus dixit fraudatores, leg. quod priuilegium, 8. eodem titul.
depoſiti, P. Aliud enim eſt foro cedere, aliud bonis cedere.
in quo

*in quo lapſus Accurſ. in d. l. quod priuil.* erant quippe in foro Ro-
mano, vt nunc Lugduni, mercatorum nũmulariorum tabernæ,
pone & iuxta ædem Caſtoris, vt ex Terentio *Phormione*, Plauto
*in Perſa & Curculione*, & Iuuenale *Satyr. 34. ibi. quanto capitis di-
ſcrimine conſtent, &c.* conſtat, & late docet Budæus *in explicat. d. l.
ſi hominem, § fin. depoſ. in prior. annotat. in P.* in publico videlicet
loco, vbi menſæ argentariæ, *Vlpi. in l. qui tabernas, 33. de contrah.
emt. lib. 18. P. tit. 1.* & vbi publicam egentibus præſtabant operam,
veluti fide publica. Obſeruauit & Sigonius, *lib. 2. de antiquo iure
Rom. ca. 11. menſarios* publicam rationem confeciſſe, *argentarios*
priuatam. Argentariam facere Cicero *pro Cæcinna* ait, more di-
uitum & copioſorum hominum, qui quæſtum facerent aut per-
mutandis pecuniis, aut fœnerandis, ex permutatione pecuniæ
lucrum corrogatum, collybus Græcis, qua voce & Cicero vſus
ad Atticum, vnde & ipſi argentarii collybiſtæ, campſores nunc
nummularii qui & per partes pecuniam erogant, vt ſcribit Pau-
lus *in l. quadam perſona, 9. § fi. de eden. P.* Et menſæ argentariæ ex-
ercitores ab Vlpiano *in l. 4. § prætor ait, de eden. P.* & apud Græcos
quoque ἀργυρογνώμοι, & ἀργυραμοιβοὶ, apud Iulium Pollucem *lib. 3.
Onomaſtic. c. 9.* Tabernas argentarias conſtruxit in foro Luc.
Tarquinius Priſcus Romanorum rex, *Dionyſ. Halicarn.* quarum
& meminit Liuius *ſæpe. vt in 9. & 26.* Inibi & auctiones licitatio-
num fiebant, *Cic. pro Cecinna, dum de Æbutio loquitur, & Quin-
tilia. 6. Inſtit.* & ob id officium argentariorum, atque miniſteri-
um publicam cauſſam habet, eſtque principalis eorum opera, vt
auctus ſui diligenter rationes conficiant, *Caius, in l. argentarius,
10. verſ. ideo, de eden. in P.* quia frequentiſſime ad fidem eorum
codicum recurritur, *l. quadam ſunt, 9. § nummularios, eo. tit. de e-*
12 *den. in P.* ¶ Et † proinde ne facile quis decipiatur ſub prętextu fidei
publicæ, tantum abeſt vt hi qui dicuntur a Demoſthene *oratio-
ne*, πρὸς ἀπαλλάττειν, ἀνασκευάζειν τὴν τράπεζαν, menſam ſubuertere,
beneficio ceſſionis digni ſunt, quin vel ex eo ſolo, quod foro ce-
dunt, & ſolum vertentes alio confugiunt, pœnam merentur.
Qui enim rationes publicas habent, ſemper paratas habere de-
bent præbendas poſcentibus eo loco vbi argentariam habent, *l.
argentarius, de eden. P.* maximeque vel in eo peccant qui inſtru-
menta debiti tranſtulerint in aliam, quam vbi argentariam ex-
ercuerint prouinciam, *l. 4. § fin. de eden. in P.* Proinde horum, vt
latitantium fraudationis cauſſa, bona poſſideri vendique iuben-
tur, vt ſatisfiat creditoribus, *l. 1. & l. Fulcinius, 7. quibus ex cauſ. in
poſſeſſio. eat. lib. 42. P. tit. 4.* In hos quoque in Gallia comitiis habi-
tis Aurelię anno 1560. *in conſtitutio. regiis comitiorum Aurelia. ar-
tic. 43.* pœna impoſita, & conſtitutione Franciſci primi eius no-
minis regis capitalis, die 10. Octobris 1536. Carolus quintus et-
iam Imperator in conſtitutionibus editis in comitiis habitis
Auguſtæ Vindelicorum, 1548. artic. 22. in hos menſarios ſolum
vertentes, & trapezam euertentes, tamquam in fures animad-
uerti iubet, comprehendi & carcere detineri, donec creditori-
bus ſatisfecerint. Gratianus Cæſar, 4. loco, decoctores publicæ
pecuniæ vel fraudulentos in adſcriptionibus illicitis, iubet ſub-
iici per iudices locorum plumbatorum ictibus *Gratia. in l. quili-
bet, 40. de decurio. lib. 10. C. tit. 31.* Inhibet & Archadius, ne is qui
interuerſione facta rationum ſemel conuentus, id officium rur-
ſus gerat, in quo ante decoxit, *l. ſi aliquid, 12. de ſuſcep. to. & arcariis
lib. 10. C. tit. 70. vbi nugæ expungendæ gloſſæ, circa excoctionem.* ¶ In-
13 digni † quoque ceſſionis beneficio, quinto qui prodige & luxu-
rioſe ſua conſumunt & decoquunt, infamia olim merito dona-
ti. Sic enim & legem poſuit Solon: τὴν ἑαυτοῦ οὐσίαν δαπανήσων, ἄτι-
μος ἔστω, id eſt, Qui patrimonii ſui verſuram fecerit, ignominius
eſto. Eoſdem quoque apud Corinthios multa, vt ſontes damna-
tos relatum eſt, *Diogenes Laerti. lib. 1. Decret. philoſ.* Adrianus, de-
coctores bonorum, ſi ſuæ eſſent auctoritatis, catamidiari in am-
phitheatro & dimitti ſtatuit, *idem Dioge. Laer. li. 6.* vocant Galli
catamidiare vulgo *mitrer*, ludibrio habere. Sed in formula ceſ-
14 ſionis de infamia latius. ¶ Sexto, † ſpolians aliquem non audi-
tur recurrens ad beneficium ceſſionis, *Spartian. in Adriano.* indi-
gnus quippe legis beneficio eſt qui contra leges facit, *Rota deciſi.
83. tit. de reſtit. ſpoli. incip. nota. quod vbi monachus, in antiquis.* & iu-
ra non decipientibus, ſed deceptis ſubueniunt, *l. auxilium, § in
delictis, de minor. 25 annis, l. verum, in prin. pro ſoc. P.* ¶ Septimo
15 non † tenetur creditor ceſſionem debitoris admittere, ſi lex
municipalis ceſſionem prohibeat: veluti ſtatutum eſſe in ſua ci-
uitate tradit Odofredus, *ca. 3. de reg. iur. l. 2. ad ſena. Velleian. in P.
l. ſi ſine, C. eo. tit. l. 2. ſi minor ſe maior. dixerit, l. 1. & 2. ſi aduer. delict.
C.* & ideo inibi eſſe carcerem, in quem omnes debitores conii-
ciantur ſi non ſoluerint. ¶ Octauo † in Gallia alienigenis dene- 16
gatur ceſſionis bonorum auxilium: vt decreuit ſenatus Pariſien-
ſis hora pomeridiana ex tempore quatro nonas Aprilis, 1565.
contra Danum quendam Lubecenſem, *Odofr. in l. 1. in fine, qui
bonis ceder. poſſ. C.* Sicut in Flandricis prouinciis Belgæ indigenæ
non iuuantur hoc beneficio ceſſionis bonorum, niſi impetraue-
rint a principe magna cum cautione, & multis interpoſitis con-
ditionibus, ex ſanctione Caroli quinti Imperatoris, lata 1541. *re-
fert Rhenat. Chopinus lib. 1. Domanii Franciæ tit. 12.* Apud Roma-
nos quoque olim legis Iuliæ ceſſionis beneficium ciuibus tan-
tum indultum erat, *refert Balduinus in § fi. de actio.* poſtea tamen
& ad prouinciales prorogatum eſt, *Iulius Cæſar li. 3. Commen. bel.
Gal. Sueto. in C. Cæſare ca. 42. T. Citus li. 5. annal.* ¶ Nono † depor- 17
tatus, ſeu relegatus, & qui dicitur bannitus ſeu exſul, cui poſtea
bona & ciuitas reſtituuntur, non admittitur petens ad ceſſio-
nem, *l. 4. qui bon. ced poſſ. C.* ¶ Decimo † tradit Butrigarius, *l. 2. C.* 18
*de ſentent. paſſi. Iaſon in § fi. nu. 22. de actio.* voluntarie inopem ce-
dere non poſſe, quia ceſſio non admittitur niſi vrgentibus cre-
ditoribus, & ſi velint carceribus mancipare, vel detinere debi-
torem, facta bonorum diſquiſitione cum vicinis per apparito-
rem: quamuis contrarium opinetur Bartolus, *in l. ſtipulatio, § ha-
bet. de ope. no. nunt.* tamen omnes formulæ ſeu ſtyli curiarum Gal-
liarum, ſequuntur ſententiam Butrigarii, vt notat Boerius *deciſ.
349. nu. 8.* ¶ Vndecimo † in religione iudicis ſitum erit, perpen- 19
dere cauſſas, propter quas ceſſionis beneficium debitor merea-
tur, nam caſus repentini, vis maior, incurſus latronum, & cetera
fortuita digna ſunt quibus releuentur debita: at miſereri certe
eum non oportet, ſed potius iraſci & carceres inferre, prodiga-
litate, luxuria & cauponationibus aliena profundẽtibus. ¶ Duo-
decimo tradit † Bartolus *in l. alia, § eleganter, ſolut. matr.* & Iaſon 20
*in § fin. nu. 19. de act.* debitorem non vti ceſſione, ſi eo tempore
quo contraxit ſciebat ſe non eſſe ſoluendo.

## Quibus, & pro quibus debitis ceſsio fieri non poſsit. Cap. 10.

*1.3. Ceſſio non fit pro mulcta debita ex crimine.*
*Pro debito facti nu. 3.*
*2 Pœna pecuniaria quando commutari poteſt in corporalem, ob inopiam condemnati.*
*4 Ceſſio fieri nequit pro debito fiſcali, vel Reip.*
*Debitor fiſci in carcerem detruſus etiam iure antiquo, eod.*
*3.4. Carcerari num quis poſſit pro debito fiſcali, vel Reipubl.*
*4 Tributum pro pauperibus.*
*Tributorum magnitudo impoſita a Chilperico migrare colonos coegit, eod.*

PLacuit † non admittendam ceſſionem bonorum pro mul 1
cta debita ex crimine, ſiue ad eam damnatus ſit clericus, ſiue
laicus, *Boer. deciſi. 349. facit can. epiſcopis, § libertis, 12. q. 2.* Veluti ſi
quis debitor ſit ex maleficio & litis æſtimatio fiat: quo caſu vera
eſt regula, vt qui non habet in ære, luat in corpore, *l. 1. § fin. de pœn.
in P. lib. 48. tit. 19. l. fin. de in ius voca. lib. 2. P. tit. 4. l. quicunque, § quod
ſi, de ſeruis fugit. C. l. fi. de ſepul. viola. C. l. ſi quis id quod, § in ſeruos, de
iuriſd. om. iud. c. fi. de maledic. cum ſim.* quando videlicet mulcta ex
delicto eſt applicanda fiſco, non etiam ſi parti, ſiue ex contractu,
ſiue ex maleficio: tunc enim mulcta pecuniaria non poteſt com-
mutari in pœnam corporalem, niſi actore conſentiente, *Stephan.
Aufrerius, in additio. 2. ad deciſionem Capellæ Tholoſa. 61. facit ca. fra-
ternitas, 12. q. 2.* ſed exſpectanda eſt pinguior rei fortuna, *iuxta c.
Odoard. de ſolut.*

¶ In † mulcta autem ciuili nunquam, aut raro commutatio 2
eius facienda eſt in pœnam corporalem, *l. illicitas, § fi. de offic. præ-
ſid. P. ca. finem litibus de dot. & contum. ap. Gregor.* Apertius hoc ex-
plicat diſtinctione Ioannes Andreas, *in d. c. Odoardus.* aut, inquit,
ex maleficio, ſiue ex contractu debitor conuenitur ad præſtan-
dum id quod intereſt, & tunc poteſt bonis cedere: aut agitur
non tantum ad id quod intereſt, ſed ad pœnam quoque, vel ad
pœnitentiam imponendam, veluti in furto, *c. tuæ, de pœnis.* tunc,
ſi placet actori, mulcta in pœnam corporalem poterit conuerti,
*d. c. fraternitas, 12. q. 2.*

¶ Illud † ipſum & licebit iudici, cum de pœna imponenda 3
tractat, *capit. 2. verſicul. etſi nec, de maledic.* 2. Non habet lo-
cum bonorum ceſſio in obligatione qua quis tenetur ad fa-
ctum, quia factum pro parte reſtitui non poteſt, *l. ſtipulatio.
§ fi. de ope. no. nunt.* Et ſic in hac hypotheſi reſoluunt Maſuerius,

*in iudiciorum praxi. ti. de obligatio. §. item venditor ad impediendam bonorum ſuorum venditionem, addi. 2.* & Iaſon *in §. fi. de act. num. 12.*
Etenim quando quis ad ceſſionem admittitur, fit ex impotentia
ſoluendi: qui autem ad factum tenetur, illud præſtare poteſt,
quare non liberatur cedendo, ſed præciſe ad factum tenetur, *l.*
*ſtipulationes non diuiduntur, 72. de verb. oblig.* vt & ad dandum, *l.*
*vbi autem non apparet, 75. eo. tit. de verb. oblig.* Si tamen factum ha-
beat præſtandi impoſſibilitatem, arbitrantur Iaſon & Faber ceſ-
ſionem admittendam, *Iaſ. & Faber in d. §. fi. de act.* videlicet ratio-
ne eius quod intereſt non fieri, quod & in obligationibus facti
locum habet, *l. ſtipulationes non diuiduntur, & l. in ſtipulationib. §.*
4 *fin. de verbo. oblig. P.* ¶ 3. In † cauſſa fiſcali, vel ære reipublicæ, ſi
quis æſtimata lite damnatus pecunia ob maleficium ſit, non po-
teſt liberari carceribus cedendo, ſed quandiu non ſoluerit illis
conſtringitur, *l. nemo, de exacto. trib. lib. 10. C.* Sic cum pater Cy-
monis Miltiades litem æſtimatam ſoluere populo non potuiſ-
ſet, ob eamque cauſſam in publicis vinculis deceſſiſſet, Cymon
eadem cuſtodia detentus fuit, neque legibus emitti poterat, niſi
pecuniam, qua pater mulctatus erat, exſoluiſſet, vt auctor Æmy-
lius Probus *in Cymone*: erat autem condemnatio illa mulctæ li-
tisve æſtimatio 60. talentorum, ex crimine ſuſpicionis proditio-
nis, cuius inſimulatus erat Miltiades, *idem Prob. in Miltiade.* Sui-
das quoque, qui reipublicæ, inquit, debebat ex mulcta, nec no-
uo ſenatus conuentu exſoluerat, in carcerem detrudebatur, re-
pudiatis etiam ſponſoribus, *Suid. in verb. ἀπογράφειν, ἀδικίου* actio-
nis nomen erat id, quando quis non ſolueret quod debebat, e-
iuſque ratione ſimplum pendebatur, ſi ante nouum ſenatus
conuentum ſolueretur: ſin minus, duplum, *Suid. in ver. ἀδικίου,* in
priuatis videlicet debitis, at in publicis carcer paratus, vt dixi, e-
rat. Stephanus Aufrerius probat in debitis quidem fiſci, ratione
criminis, non poſſe ceſſione damnatum liberari a carceribus: at
ſi debitor, inquit, ſit tributorum nomine, non debet carcerari,
ſed honeſte ſub cuſtodia detineri, *Aufrerius in deciſio. Capel. Tho-
loſ. 18. per l. nemo, de exacto. tribu. lib.* 10. *C.* Lycurgus quoque ſtatu-
it ob vectigalia non ſoluta, quemquam in carcerem non eſſe de-
trudendum, liberauitque Xenocratem eam ob cauſſam incar-
ceratum, & publicanum in carcerem ob iniuriam coniecit, *Plu-
tar. in vit. decem orator.* Tradit & idem Aufrerius ob collectas
impoſitas neminem bonis poſſe cedere, *Stephan. Aufrer. dicta
deciſ. 28. & in deciſi. Cap. Tholo. 134. in additionibus,* videlicet, ſi ſol-
uendo ſit, & cedere velit, vt ſe a publicis muneribus liberet,
quod non licet, *l. propter. 5. qui bonis ced. poſſ. C.* Exiſtimant autem
Ioannes Faber, *in §. fi. de act.* Cynus, *in l. 1. qui bo. ceder. poſſ.* Barto-
lus, Ioannes de Platea, *in l. nemo, de exact. trib.* fiſcales debitores
ob tributa, ceſſione bonorum liberari poſſe a carcere. ¶ Fuit a-
4 liquando † lex Baſilii iunioris Porphyrogenetæ Cæſaris, qua
conſtitutum, tributum pauperum qui ſoluendo non eſſent a lo-
cupletibus exigendum eſſe, quod ἀλληλέγγυον dictum eſt, *lib. 1. iu-
ris Oriental. in conſtitut. 2. Baſilii.* Hoc tamen poſtea Romanus
Argyrus Cæſar ſubſtulit, quod etiam Conſtantinus erat ſubla-
turus, niſi mors eum anteuertiſſet, *in cod. 1. lib. iur. Orienta. in con-
ſtit. Argirii, περὶ προσόδου τῆς μεγάλης ἐκκλησίας, id eſt, reditu maior. ec-
cleſ.* Veruntamen, quanquam propter adminiſtrationem ciui-
lem quem bonis poſſe cedere conſtat, *l. 2. & 3. C. qui bon. ced. poſſ.*
tamen receptum eſt, debitorem fiſcalem non poſſe bonis cede-
re: & ita ſeruatur in curiis huius regni. *Guido Papæus q. 211. nume.
3. Bart. in l. cum eo ad le. Iul. pecula. P. Bal. Cyn. in l. 1. qui bon. ced poſſ.*
niſi in caſibus, in quibus paupertas excuſat, *Bald. & Cyn. in d. l. 1.*
Quare & Baldus & Salicetus *in l. propter honorem, qui bon. ced. poſſ.
idque firmat Angelus Aret in §. fi. de actio.* tradunt ſubditos vo-
lentes cedere bonis propter collectas, quæ imponi debent pro
modo patrimonii per æs & libram, & vt dicunt, pro ſolido & li-
bra, non audiri: idque iuſtiſſime, cum vnde ſoluant in eo caſu ha-
beant ſufficiens patrimonium, cuius ratio habetur & doloſe dif-
fugere onus videantur. Scio tamen aliquando onera inter tyran-
nos principes tam grauia indici, vt ſæpe incolæ cogantur res i-
pſas relinquere, & loco migrare, vt quo tempore Chilpericus
Galliar. rex nouas & graues impoſuit deſcriptiones, accidiſſe re-
fert Gregorius Turonenſis *libr. 3. hiſtor. Franc. cap. 27.* Sed illæ
ceſſiones bonorum erant potius diſceſſiones, quam ceſſiones,
de quibus nunc quæſtio. Cur autem pro oneribus & muneribus
perſonalibus ceſſio non fiat, ratio certiſſima, quod inops, pro-
pter neceſſitatem non habendi, onera patrimonii non ſuſtinet,
corpori autem indicta obſequia ſoluit, *l. cura exſtruendi, 4. §. ino-
pes. de mun. & honor P.* quodque perſonalia munera in ſolicitudi-
ne animi principaliter, & vigilantia potius quam ſumtibus con-
ſiſtunt, *l. 1. §. illud tenendum, de muner. & honor. in P.*

## De præſcripta cedendi formula. Cap. 11.

1 *Diſtributio bonorum, prodromus ceſſionis bonorum.*
2 *Diſtributionis bonorum & dationis in ſolutum, & ceſſionis diffe-
rentiæ.*
3 *Ceſſione facta petunt creditores ſe mitti in poſſeſſionem bono-
rum.*
*Curator bonis ceſſis poſt ceſſionem datur, eod.*
4 *Ceſſio iure ciuili quomodo fiat & in Gallia.*
5 *Ceſſio cur ignominiam non habeat.*
*Carcerum mancipatio non infamat, eod.*
6 *Paupertatis publicæ profeſſio ſatis affligit.*
7 *Paupertatis mala.*
8 *Ceſſio bonorum inter bonos & graues infamiam habet.*
9 *Ceſſio etſi infamis non ſit, tamen fit modo vituperabili.*
10 *Decretorum lex Roſcia de gradibus in theatro.*
11 *Vita inops morte peior.*
12 *Debitorum inopum apud Bœotios infamia.*
13 *Gedentes bonis ab actibus humanis tanquam infames non reiici-
untur.*
14 *Cedens bonis, quam cautionem præbere debeat.*
15 *Ceſſionis ſubſtantiale, eſt fateri debitum.*
16 *Cedens omnia tenetur bona indicare.*

PRodromi † & anteſignani ceſſionis bonorum diſtributio- 1
nes fiunt, quando debitores in ſolutum relinquunt credito-
ribus, vt diſtribuantur inter illos ſecundum ordinem nominum,
*in nouella 4. §. quod autem.* ¶ Intereſt † autem inter dationem in 2
ſolutum, & ceſſionem in multis, ſed potiſſimum quod domini-
um tranſeat in creditores rerum in ſolutum datarum: quæ au-
tem per ceſſionem ad creditores perueniunt iure dominii, ad e-
os non pertinent, nec eo iure inter ſe creditores diuidere poſ-
ſunt, *l. 4. C. qui bonis ced. poſſ.* Neque enim qui cedit bonis, deſinit
eſſe dominus bonorum ſuorum ante diſtributionem factam
pecuniæ, vel æſtimatione facta ante addictionem rerum, *l. is qui,
& ibi Bart. qui bo. ced. poſſ. C. in deciſio Capel. Tholoſ. 134. Petrus Ia-
cob. tit. de ceſſ. bono.* ¶ Quo † fit vt ceſſione facta, petere debeant 3
creditores ſe mitti in poſſeſſionem bonorum, iuxta titulum, de
bonis auctoritate iudicum poſſidendis. Et interim datur bonis
curator, *ſecundum l. 2. & fi. de cura bonis dando, lib. 42. P. tit. 8. l. 2.
quando fiſcus, vel priua. C.* Is autem vendit bona, & ſatisfacit cre-
ditoribus, *d. l. fi. de cura. bon. dando,* exercetq; actiones vtiles con-
tra debitores cedentis, *l. 2. eo. tit. P. li. 42. tit. 8.* Et ſi poſt ceſſionem
bonorum ſtatim curator dari non poſſit, iudex interim inuenta-
rium fieri bonorum ſtatuet, vel ea ſequeſtrabit poſtulantibus
creditoribus, ne bona interim ſubtrahantur, & vt conſulatur o-
mnibus. Neque cogetur vnus ex chirographariis creditoribus
bona ſolus capere, cum onere ſoluendi ceteris, *l. inciuile eſt 4. de
bon. auctor. iudicum poſſ. li. 7. C. tit. 72.*

¶ Ceſſio † iure ciuili, ſine aliqua ſolemnitate fit, ſola volunta- 4
tis expreſſione, *l. in omni, C. qui bonis ced. poſſ.* & profeſſione, & per
nuntium, & per epiſtolam, *l. fi. de ceſſio. bon. P.* Hodie in Gallia
non ita, ſed fit in iudicio, ſedente iudice pro tribunali, die &
tempore, quo publicæ cauſſæ in iudicio explicantur in audito-
rio publico, ex conſtitutione Ludouici Duodecimi, anni mille-
ſimi quingenteſimi duodecimi, *conſtit. Lud. 12. anni 1512. art. 70.*
¶ Veruntamen † in eo conſentiunt noſtri cum iure communi, 5
vt ignominiam ceſſio non habeat, cum beneficium iuris ſit, *in l.
debitores. 12. de iis qui notant. inf. lib. 2. C. tit. 12. dictum & areſto Pari-
ſienſi, 18. Septem. 1543. Philip. Bugno. libr. 1. leg. abrog. articul. 115.* Et
vetita ignominioſa ceſſio, quæ antea fiebat a Iuſtiniano *in nouel-
la 135. & l. fi. hoc tit. qui bo. ced. poſſ. C.* nec beneficium pernitioſus
eſſe debet ipſa cauſſa cui accedit, & a qua liberat, nempe ipſa car-
cerum detentione ob debitum, quæ non infamat: nec enim i-
deo infamis quis eſt, quod in carcerem ſit coniectus, vel cui vin-
cula iuſſu legitimi iudicis iniecta ſunt, *l. 1. ex quibus cauſ. inf. irrog.
Cod.* niſi ob pœnam explorati criminis id fiat, *l. nullam, Cod. eod.
titul. ex quibus cauſ. inf. irrog. l. 1. & 2. de cuſtod. reor. P.* Neque affli-
cto afflictio danda eſt noua, *l. tam dementis, Cod. de epiſc. aud. l. di-
uus, de off. præſ. P. l. pœna, § final. ad leg. Pom. de parri. ca. ex parte de
cler. ægrot. c. cum percuſſio, 7. q. 1.* ¶ Satis † autem & abunde quis af- 6
fligi videtur, ex illa confeſſione paupertatis publica, qui cedit, vt
alia infamiæ nota grauandus non ſit. Intereſt enim noſtra alio-
quin ſecreta domus noſtræ non pandi, & æs alienum detegere,
quod

quod melius eſt interim taceri, *l. 2. de alimentis pupillo præſtan. lib. 5. C. tit. 50.* Quid enim tam durum, tamque inhumanum eſt, quam publicatione pompave rerum, familiarium & paupertatis detegi vtilitatem, & inuidiæ patere diuitias, vt ait Theodoſius *in l. 2. quan. & quib. quarta pars debeat. li. 10. tit 34.*

*Nam,* vt ſcribit Plautus *in Perſa. actu 3. ſcen. 1. vbi ad paupertatem acceſſit infamia,*
*Grauior paupertas fit, fides ſubleſtior,*
*Fugiunt amici.*

7 ¶ Et † paupertas, cum de mutuo agitur ſuſpectum reddit debitorem: quamuis ſuſpectum non faciat tutorem, *l. ſi creditores. 15 de priuileg. cred. li. 42. P. tit. 6.* Et ſatis ipſo facto ridiculoſa, & metuenda paupertas, vt alia nota non opus ſit grauiori.

*Magnum pauperies opprobrium, iubet*
*Quicquid vis & facere, & pati,*
*Virtutisque viam deſerit arduæ. Hora. li. 3. carmi. ode 24.*
*Nil habet infelix paupertas durius in ſe,*
*Quam quod ridiculos homines facit, Iuuenal. Satyr. 3.*

Et apud Plautum *in Sticho:*

*Iam,* inquit, *inde a pauxillo puero ridiculus fui,*
*Eo quod paupertas fecit vt ridiculus forem.*

8 Atq; † ita inter bonos & graues ſemper infamiam facti habet ceſſio, quia & ob miſeriam fit, & flebile auxilium dicitur ſeu adiutorium, *l. cum & filiusfamilias. 7. C. qui bon. cede. poſſ.* & in pluribus iuris articulis paupertas detrahit integrari & exiſtimationi perſonarum, *vt in §. ſcimus, de teſti. in Authent l. pietatis. de ſuſpe. tutor. C. l. 1. de cuſtod. reor. cum ſimil.* Atque, vt ait Cicero, cuius bona ex edicto poſſidentur, huius omnis fama & exiſtimatio ſimul cum bonis poſſidetur eius, de quo libelli in celeberrimis locis conſtituuntur, &c. *Cicero pro Quintio.* Iuſtinianus quoque iniuria affici defunctum tradit, ſi ſine herede decedat, quod bona eius publicentur, non exſiſtente qui reſpondeat creditoribus, *§. licet autem domino, cum verſiculis ſeq. qu. b. ex cauſ. man. non licet.* Pro iniuria etiam graui habitum, aliquem dixiſſe debitorem, cum non eſſet, *Vlp. in l. item apud Labeonem, 15. § ſi quis non debitorem, de iniur. li. 47. P. tit. 10.* vt ſignaſſe domum debitoris abſentis ſine auctoritate iudicis, iniuriam habere reſpondit Caius *l. ſi iniuriæ faciendæ cauſſa, l. 20. de iniur. P.* prohibitumque ſine iudice ſigna rebus alienis imponere, *l. 1. & 2. & 10. titu. vt nem. liceat ſine iudic. auctoritate ſig. reb. alien. impo. C.* Apud Tyrrhenos, ſi quis æs alienum quod conflauerat non diſſoluiſſet, ſequebantur eum pueri vacuum geſtantes marſupium ignominiæ cauſſa, *Heraclides in politis, & in politia Tyrrhenorum.* Craſſus, cui pecuniæ magnitudo diuitis nomen dedit, ab eadem poſtea turpem decoctoris ſuperlationem accepit, ſiquidem bona eius a creditoribus, quia ſolidum præſtare non poterat, venierunt: itaq; amara ſuggillatione non caruit, cum egens ambularet, diues ab occurrentibus ſalutabatur, *Valer. Maxi. lib. 6. ca. fin. in Craſſo.*

9 ¶ Sic † quamuis iuris infamia non notetur cedens, tamen ea non fit potiſſimum hodie, niſi modo vituperabili, tempore quo in forum iudiciale omnes conueniunt, nec ſufficit verbo facere, *Bart. in l. qui bon. ced. poſſ. C. Iaſ. in §. eum quoque. de actio.* ideo fugienda. Ita Guido Pap. ait ceſſionem Lugduni fieri in curiis cum vituperio & ignominia, quia remotis femoralibus, culus lapide percutitur, *Guid. Pap. q. 343* M. Mantua. Bonatiitus lib. 5. enchiridii rerum ſingularium c. 105, tradit Paduæ eſſe lapidem, dictum vituperii, in quo ceſſio fieret ter natibus nudatis lapidem percutiendo, & toties alta voce dicendo, Cedo bonis: idque ex lege municipali quæ eſt ibi, ſub titulo de ceſſio. bono. incipiente in nomine patris, quam alias, ait: factam ad poſtulationem beati Antonii confeſſoris: & habuiſſe ortum a Romanis habentibus leonem marmoreum ante Capitolii ianuam poſitum, quem ſic bonis cedentes natibus percutiebant pariter, conſuetudine recepta contra diſpoſitionem iuris communis. Angelus Paduæ quoq; ceſſionem fieri tradit a debitore publice, poſteriora nuda oſtendendo, & dicendo, Cedo bonis, teſtaturq; ſe Peruſii vidiſſe in columna hoc modo cedentem, *Ange. in l. omni. qui bon. ced. poſſ. C.* Paulus Caſtrenſis, & in aliis locis morem eſſe teſtatur circumducendi eum qui cedere vult per ciuitatem, cum tubis & vituperio vſque ad locum in quo cedat, *Paul. Caſtr. in d. l. in omni.*

10 ¶ Lege † Roſcia decoctoribus bonorum obæratis, quamuis fortunæ vitio, aut parentum, nec ſuo decoxiſſent, erat in theatro publice ſeparatus ab omnib. locus, quatuordecim graduum, *Cicero Philip. 2.* ideo hanc legem vocat theatralem Plinius *li. 33. c. 2.* quæ lata a Lucio Roſcio Tribun. pleb. Luc. Piſone & M. Acilio Coſſ. Gradus porro illis dati quatuordecim proxime equitib. in theatro, in ludibrium, vt auctor eſt Florus *in epitome Liuii, lib. 99.*
¶ Et † certe, recte peiorem vitã, quę in perpetua inopia eſt, mor- 11
tem, & ſupplicium iuge dixit lex, *l. quiſquis. § 1. ad le. Iul. maieſt. C.*
vtq; Eccleſiaſticus dicebat, Melius eſt mori q̃ indigere, *Eccleſiaſtici c. 40.* Supra etiam retulimus Solonis legem de decoctorib. quæ volebat huiuſmodi eſſe ἀτίμους, infames. *Diog. Laert. lib. 1. de vit. philoſ.* & legem Adriani, quæ eoſdem in amphitheatro catamidiari iubebat, *Ælius Spartian. in Adriano.* Apud † Bœotios 12
qui æs alienũ non diſſoluiſſet, in forõ ſedere cogebatur, & circũſtante plebe, in os & ora corbem accipere, qua nulla fuit ignominia maior, *Alexan. ab Alex. li. 6. genia. dier. c. 10.* ¶ Ceterum no-
bis † proderit obſeruaſſe, infamia iuris cedentes iure non nota- 13
ri: & ideo in his negotiis in quibus infames reiiciuntur, *vt in l. 1. de infamib. li. 10. C. ti. 57. c. inter dilectos. de exceſ. prel. l. infamia. C. de decurio.* eos qui calamitate & infortuniis in paupertatem inciderint, & bonis cedentes, non reiici tanquam infames. ¶ Gregori-
us † IX. ſummus pontifex ceſſioni videtur addidiſſe formulam 14
cautionis præbendæ idoneæ per cedentem, vt ſi ad pinguiorem fortunam peruenerit, debita perſoluat, *in c. Odoardus. de ſolutio. c. cum conſtet. de pig.* Ideo autem cautio in pignorum vel fideiuſſorum datione conſiſtit, *l. ſi mandato. 59. §. ſi manda. P.* quemadmodum & placuit eum qui dilationem conſequitur ad ſoluendum, cauere debere de ſoluendo, *l. vniuerſa. de precib. Imper. offer. C.* Ceterum, cum hic potius ſit beneficium ob inopiam, nec propter dilationem ſolum conceſſum, conſtetque ex eo quia bonis ceſſit, nulla eum bona cedentem habere quæ pignori dare poſſit, & proinde neque fideiuſſores vllos ei ob inopiam apertam velle accedere, idonea cautio, cum nomen hoc late pateat, *l. ſancimus. C. de ver. ſig. l. plus cautionis, de reg. iu. in P.* intelligetur de ea quam præſtare poterit, vt caueat quantum poſſit, *ca. faciat, 22. q. 2.* videlicet iuret & præſtet cautionem iuratoriam, *gl. in d. c. Odoardus per c. ex parte. de verbo. ſig.* ſe diſſoluturum æs alienum, ſi ad
pinguiorem venerit fortunam. ¶ Ex † ſubſtantia ceſſionis cen- 15
ſetur fateri debitum, *l. ven. & fin. de ceſſ. bon.* id eſt, agnoſcere debitum vel in iudicio, vel extra iudicium, *Angel. in §. fi. de actio. nu. 4. per l. cum notiſſimi. § ſed et ſi quis de præſcri. 30. vel 40 anno.* quibus paria ſunt, ſi non contradicat, ſi patiatur ſe condemnari, ſi fateatur coram teſtibus, vel notario, *c. ſi cautio. de fid. inſtru. Imola in c. Odoardus. nu. 10. de ſolu.* Nam ſi negauit a principio & fuerit condemnatus, & poſtea debitum confiteatur, confeſſio hæc, ſi repugnet creditor, nihil ad impetrandam ceſſionem prodeſt. Excipereque poteſt eius creditor, ſe non acceptare confeſſionem, quia ei non expediat, *iuxta l. eum qui. in prin. de iureiur.* dehinc quod vel ex eo quod in negatione vſque ad ſententiam perſtitit, dignus pœna eſt, *§ item mixta. de actio. l. conductores. C. de loca* & amiſſione beneficii propter mendacium, *l. ſi dubitetur. 11. § 1. de fideiuſſ. P.* Et in hac ſententia totus eſt Baldus, & ita intelligendam putat legem 1. C. qui bonis cedere poſſunt in qua poſt ſententiam condemnatus, ad ceſſionem admittitur, videlicet, ſi vſq; ad ſententiam non fuerit debitum inficiatus, vel ſi is ſit qui inficiatur, qui vſq; ad ſententiam iuſtam cauſſam habuerit, vel dubitã-
di, vel diffitendi, *argumento l. ſciendum, de vſur. P.* ¶ Cum † hac 16
cõfeſſione debiti, debet quoq; debitor bona omnia vſq; ad quadrantẽ, vt dictũ eſt, indicare, & indicata relinquere, aliter nõ admittitur. *gl. in d. l. ſi. de ceſſ. bon. in P. per l. fin. § licentiam. de iur. delib. C. facit l. 2. quan. & qui. quar. pars debea. lib. 10. C.* quia ſubtrahens quippiã ex bonis ſimilis eſt neganti, *l. hereditate § ſi. ad l. Fal. in P.*

## Ceſſionis bonorum auxilium non porrigi ad fideiuſſores cedentium. Cap. 12.

1 *Ceſſio debitoris non prodeſt fideiuſſoribus eorum.*
2 *Fideiuſſores debitorum cedentium, quare per illorum ceſſionem non liberantur, eod.*

AVxilium † hoc legis ceſſionis, tantum cedentibus & debi- 1
toribus, non fideiuſſoribus prodeſt, *§ fi. de rep. lic. ti. 4. Inſt. tit. 14. facit l. heres a debitore. §. quod ſi ſtip. & ibi Bar. de fideiuſſ. in P. Gui. Papæus q. 211. nu. 3. Angel. in §. fi. nu. 13. & ibi quoq; Iaſ. n. 25. de act.* nam vbicunque reus ita liberatur a creditore, vt natura debitum remaneat, teneri fideiuſſorem reſpondit Scæuola, *l. vbicunque. 61. de fideiuſſ. li. 46. P. tit. 1.* Sic apud Verum & Antoninum damnato debitore, & bonis illis pro tertia parte fiſco confiſcatis, creditorem contra eum pro duabus tantum debiti partibus poſſe agere: at fideiuſſorem conueniri in ſolidum reſcriptum
eſt, *l. 1. de fideiu. lib. 8. C. ti. 41.* ¶ Quinimo † paratior & aperta iam 2

cenſetur ex ceſſione bonorum contra fideiuſſores via, videlicet
iam ſatis ſuperque ex illa ceſſione diſcuſſo principali debitore,
poſtquam tantum ad fideiuſſores ordo iuris accedere permittit,
*authen. præſente. de fideiuſſ. C. §. ſi quis igitur. & §. non ſolum. eo. ti. in*
*authenticis* Accedit & alia ratio, quod finis fideiuſſionis hic ſit, vt
creditor ſibi proſpiciat, vt cum debitor facultatibus lapſus fue-
rit, poſſit ab iis quos pro eo obligauit ſuum conſequi, *§. 1. de fide-*
*iuſſ. §. fi. de replicatio.* Item quia fideiuſſor non tam ex contractu
principalis debitoris, quantum ex ſuo proprio, videlicet ex ſua
fideiuſſione conuenitur, *l. blanditus, C. de fideiuſſ.* Et poſtremo,
quamuis creditor ſit miſſus in poſſeſſionem bonorum ſui debi-
toris, nihilominus poteſt vltra eum prehendere, & perſonam in
carcere detinere: vnaque via electa alteri, ſibi non præiudicat, vt
notat Angelus *in d. §. num. 13.* ex Bartolo *in l. conſentaneam quomo-*
*do & quan. iud. C.* & Baldo *in l. 2. de reſti. minor. C.* Receptum et-
iam eſt, exceptiones quæ cohærent perſonæ debitoris contra
creditores, non communicari fideiuſſoribus, *vt in l. 3. C. de exce-*
*ptio. l. exceptio. quæ perſona, eod.* vt in fideiuſſore minorum liquet,
*in l. in cauſſæ, de minor. in P.* & in reis damnatis, quorum bona fi-
ſco ſunt delata, *l. 1. C. de fideiuſſ.* ſi illi habeant priuilegium, ne vl-
tra quam facere poſſint damnentur, vel conueniantur, *l. verum,*
*§. 1. pro ſocio l. alia, §. eleganter. ſol. mat. P.* quamuis contra exceptio-
nes quæ rei vel debito adhærent, communes ſint fideiuſſori
cum debitore, vt pacti conuenti, rei iudicatæ & ſimiles, *l. defenſio-*
*nes. C. de except. l. omnes. eod. tit. P. l. ex perſona, 13. de fideiuſ. P. §. exce-*
*ptiones. de replica. l. fi. de pact. P. l. nouatione, de nouatio. C. l. cum prin-*
*cipalis. de reg. iur.*

## De Fine præcipuo ceſſionis. Cap. 13.

1 *Ceßionis finis liberare debitores a moleſtiis creditorum, non a de-*
*bito.*
2 *Bancharotario ceßio debiti pro parte facta, num repeti poßit eo fa-*
*cto diuite.*

1 FInis † præcipuus, ob quem conceditur beneficium hoc ceſ-
ſionis, eſt liberare a carcere debitorem, & ab aliis iniuriis cre-
ditorum: non autem liberare a debito. *l. 1. & l. cum & filiusfamilias,*
*7. qui bon. cede. poſſ. C.* Quare interim ſuſpenditur actio, donec ad
pinguiorem fortunam venerit debitor: & eatenus in poſterum
conuenitur, in quantum facere poteſt, *§ fi. de actio.* vt ceſſio non
impediat ſubſtantiam obligationis, ſed effectum, durante ino-
pia, *vt in l. ex diuerſo. ſol. mat. in P.* Nec probe mihi ſentire viden-
tur, qui dicunt bonis cedentem liberari a ciuili obligatione, *ita*
*gl. in l. vbicunque, de fideiuſſ.* non a naturali: verum enim non eſt
liberari a ciuili, ſiquidem ſi hoc admitteremus, ſequeretur, poſt
ceſſionem nullo modo debitorem ditiorem factum conueniri
poſſe: quia actio ſemel exſtincta reuiuiſcere non poteſt, *l. qui res,*
*§. aream. de ſolut. l. ſi vnus, §. pactus ne peteret, de pactis, P.* nec libera-
tus conueniri poteſt ex naturali ſola obligatione, *l. frater a fratre,*
*de condict. inde. l. Stychum, § naturalis, de ſolu. P. & hanc quæſtionem*
*tractat Iaſon in §. fi. de act. num. 2. Bal. & Salic. in l. 1. qui bon. ced. poſſ.*
*Ang. Imola, Cuma. in l. vbicunque. de fideiuſſ. Bal. in §. fi. de act. ap Iu-*
*ſtin.* Proinde, ceſſio bonorum non reſpicit eliſionem ſententiæ,
qua damnatus eſt debitor, neq; tollit obligationem, ſed mode-
ratur & ſuſpendit vtriuſq; executionem, *d. l. ex diuerſo. ſol. matr.*
potiſſimum, cum beneficia principum conceſſa intelligantur,
quantum fieri poſſit, ſine alterius ſaltem omnimoda iactura, *l. 2.*
*§. nemo. & § ſi quis a principe, ne quid in loc. pub. P. l. fi. ſi contra ius vel*
*vtil. publ.* alioquin debitor perueniens ad ſecundam fortunam
& proſperam, fieret ditior, contra naturæ leges, *l. nam hoc natu-*
*ra, de cond. ind. P. a iure natura. de reg. iu. P. c. locupletari. eo. ti. in Sex.*
cum alterius damno. Sed & receptum eſt in iure, remiſſionem
penſionis factam conductori propter ſterilitatem exſtingui, &
penſionem reparari tempore adueniente fertilitatis, *l. ſi vno ann.*
*loca. in P.* ita exceptio hæc ceſſionis temporalis contra credito-
res eſt, vt agere vel conueniri non poſſint debitores, quandiu in
eadem remanſerint paupertate, & ne conueniantur vltra quam
facere poſſint: & ita iura quæ de hac exceptione loquuntur, *vt l.*
*ex contra. de bon. aucto. iudic. poſſ. C. l. item ſi vnus. 19. de receptis arbi.*
*li. 4. P. tit.* 8. intelligi debent, id eſt, deducto ne egeant, *l. in conde-*
2 *mnatione. 124. de reg. iu. in P.* ¶ Sed † inutilis mea ſententia, hic
non erit ea inquiſitio caſus quotidiani: quia ſolent creditores
fugacibus iſtis & ingratis debitoribus qui bonis & foro ceſſe-
runt, modico accepto ferre: num ſi illi debitores ad pinguiorem
fortunam peruenerint, poſſint integrum debitum & remiſſum
repetere. Et paucis hic moneo, & verba remiſſionis, & quod ge-
ſtum eſt inſpici, *l. ſi ita ſtipulatus. 126. §. Chryſogonus, in fi. & l. ſiue. &*
*l. ſi ita ſtipulatus ſit, de verb. oblig. P. l. fideiuſſ. magiſtratuum, de fide-*
*iuſſ. P.* an dolo debitoris impulſus remiſerit, dicendo ſe non ha-
bere vnde ſolueret integrum, & partem ſe ſoluturum, ſi partem
remitteret: & tunc remiſſum repeti poteſt, *l. ſi intra, de pact. P.* vt
propter turpem cauſſam acceptum, nempe vt faceret, ad quod
alioquin iure teneretur, *l. 2. § 1. de cond. ob turp. cauſ. dic. l. ſi intra. in*
*fi. & hoc ita notat Alex. ab Imol. & Iaſ. in l. fi. de cond. ob turp. cauſ.* Et
quia ſponte aliud creditor eſſet facturus, nec remiſſurus, *vide gl.*
*in l. apud Celſum, iuncto tex. in prin. de dol. mal. excep. P.* Sic Nicola-
us Boerius *deci. 215. nu. 8.* ex auctoritate & ſententia Lupi *in repet.*
*rubr. de dona. in antiq. nu. 15.* tradit decoctores bonorum, qui bo-
nis & foro ceſſerunt, quos vocant *banquerotiers*, & pactum hu-
iuſmodi cum creditoribus fecerint, medietatis vel portionis lu-
crandæ debiti, parte alia ſoluta, non habere exceptionem pacti,
ſed ſi ſoluendo ſint, ad integri debiti ſolutionem teneri, ad frau-
dem horum hominum plectendam. At ſi creditores miſerti de-
bitorum, partem debiti accipiendo, reliquum dimiſerint, ſuſti-
nenda erit hæc ſpontanea & pia remiſſio, & ſi petant remiſſum,
exceptione ſubmouebūtur pacti, *l. ſi intra illū diē, 42. de pact. in P.*

## De Ratione inducēdi beneficium ceſſionis. Cap. 14.

1 *Ceßionis bonorum beneficii inducendi cauſſa, & auctor.*
2 *Paupertatis miſeria ceßionis bonorum beneficium inuexit.*
3 σεισάχθεια *lex ſeu alleuatio debiti Solonis.*
4 *Debitorum corpora pro debitis non capienda. Bocchoris legiſlator*
*Ægyptiorum, eod.*

SI † cauſſæ impulſiuæ quærantur, cur hoc beneficium ceſſio- 1
nis fuerit introductum, plures adferre poſſemus: verum ta-
men aliquot contenti erimus. Iulius ipſe Cæſar, ad quem huius
origo refertur, *in l. legis Iuliæ. 4. C. qui bonis ced. poſſ.* vnam ponit
his verbis, Dictatore habente comitia Cæſare, conſules crean-
tur Iulius Cæſar, & P. Seruilius. is enim erat annus, quo per leges
ei conſulem fieri liceret. His rebus confectis, cum fides tota Ita-
lia eſſet anguſtior, neq; creditæ pecuniæ ſoluerentur, conſtituit
vt arbitri darentur, per eos fierent æſtimationes poſſeſſionum,
& rerum, quanti quæque earum ante bellum fuiſſent, atque eæ
creditoribus tranſdarentur. Hæc & ad timorem nouarum tabu-
larum tollendum, minuendumque, qui fere bella & ciuiles diſ-
ſenſiones ſequi conſueuit, & ad debitorum tuendam exiſtima-
tionem eſſe aptiſſimum exiſtimauit, *Iulius Cæſar in initio 3. belli*
*Gallici.* Hoc ipſum fere eodem modo notauit Suetonius Tran-
quill. *in Iulio Cæſare, c. 42.* ¶ Alia † ratio, ob quam beneficium 2
hoc aliis prouincialibus quam ciuibus Romanis communica-
tum eſt, inopia ipſa, cuius miſereri oportet, vt etiam Cæſares di-
cant in gratiam egenorum condi poſſe, & conditas emendari
leges *§. 1. de non eligend. ſec. nubent. in Auth. colla. 1. l. aßiduis, qui po-*
*tior. in pig. hab.* potiſſimum cum inanis ſit actio quam inopia cre-
ditoris excludit, *l. nam is, de dol. in P. ca. olim, de reſtitu. ſpol.* Expreſ-
ſit paucis Martialis *li. 2. Epigram. epigra. 3.*

*Sexte nihil debes, nil debes Sexte fatemur:*
*Debet enim ſi quis ſoluere, Sexte, poteſt.*

Huius generis eſt ceſſor bonorum, cui omnia bona adimun-
tur, vt obſeruauimus antea, per ceſſionem, vt ne quicquam & te-
mere poſtea detineatur carcere pro reliquo ſoluendo, cum vn-
de ſoluat non habeat. Nemo enim dare poteſt quod non habet,
*l. ſi vniuerſæ. C. de lega. l. itaque fullo. de furtis. in P. ca. Daibertum. 1.*
*q. 7.* Et qui ex integro ſoluere non poteſt, ſoluendo non dicitur
eſſe, *l. ſoluendo, de ver. ſig. P. §. fulloni. de obli. quæ ex delict. naſcuntur.*
Satis enim eſt, inquit Cicero, homines imprudentia lapſos non
erigere: vrgere vero iacentes, aut præcipitantes impellere, certe
eſt inhumanum, *Cicero pro Rabirio Poſth.* Et præſes prouinciæ, ſi
mulctam quam irrogauit, ex præſentibus facultatibus eorum
quibus indixit, redigi non poſſe deprehenderit, ob neceſſitatem
debet moderari, reprehenſa exactorum illicita auaritia, *l. illici-*
*tas. §. præſes. de offi. præſid. in P. l. fi. de modo mulctan li. 1. C. tit. 54.* De-
inde inops confeſſus debitum cedens, a iudicio videtur exem-
tus, & a cuſtodia iudiciali. Ea enim ratione quod quis cedat con-
feſſus eſt debitum, *in l. pen. & fi. de ceßio. bonorum, P.* & perinde ac
condemnatus, nullæque aliæ in confeſſum partes ſuperſunt iu-
dicis, *l. quidam. de reb. cred. gl. in c. dudum. 2. in verbo dicenda, de e-*
*lectio.* Ea autem ratione quod is inops ſit, ſententia ob inopiam
in eum dicta inutilis remanet, *l. qui ex parte, de interro. actio. in P.*
in eo in quo cogeretur reddere vel præſtare amplius quam non
poſſit, & iubeatur: tunc enim impoſſibile iudicis præceptum vi-
debi-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

debitur, nec ſequendum, *l. Paulus, quæ ſenten. ſine vlla a ppellat. reſcin. l. impoßibilium, de reg. iur. ff.* alioquin, ſi perpetuis detineatur carceribus, qui præſtare nec obolum poteſt, incidimus in prohibitionem iuris ciuilis, quæ cauet ne quis perpetuis vinculis contineatur, vel perpetuo carcere, *l. incredibile, C. de pœ.* Eſſet enim ſpecies quædam ſeruitutis, quam iura quoque ſubmouent liberis hominibus, *l. Titio centum. in 2. l. 71. §. Titio. in 2. de condi. & de-*
3 *monſt. l. 2. de liber. hom. exhi. P.* ¶ Ab † hac lege σεισάχθεια felix initium ad ceteras leges condendas fuiſſe Soloni tradit Diogenes Laertius, & eum fuiſſe primum qui σεισάχθειαν inuexit Atheniensibus, τὸ δ', inquit, ἦν λύτρωσις σωμάτων τε καὶ κτημάτων· καὶ γὰρ ἐπὶ σώμασιν ἐδανείζοντο. καὶ πολλοὶ δι' ἀπορίαν ἐθήτευον. ἑπτὰ δὴ ταλάντων ὀφειλομένων αὐτῷ πατρῴων, συνεχώρησε πρῶτος, καὶ τοὺς λοιποὺς τὸ ὅμοιον προὔτρεψε πρᾶξαι, id eſt, ſic appellabatur corporum poſſeſſionumque redemtio, plures enim propter ſummam inopiam fœneratoribus corpora ſua exponebant, ac ſuper his fœnerabantur. Cum igitur ſeptem illi, videlicet Soloni, talenta ex patrimonii ſui iure deberentur, ea primo remiſit, ac reliquos idem facere exemplo ſuo prouocauit, *Diogenes Laert. lib. 1. de vitis philoſo. in Solone.* σεισάχθεια, lex dicta, ἀπὸ τοῦ ἀποσείσασθαι τὰ βάρη τῶν δανείων, vt ait Heſychius, aut ἀπὸ τοῦ σείειν τὸ ἄχθος, ab excutiendo onere: quam legem poſtea induxiſſe Romanis Iulium Cęſarem hoc capite diximus: ſic enim de ea lege Plutarchus, καὶ σεισαχθείᾳ τινὶ ἐκούφιζε τοὺς ὀφειλέτας, & ſeſachthia alia leuauit debitores *Plutarch. in*
4 *Iulio Cæſare.* ¶ Verum † non omnes, nec ſemper: nam Varro ſuperato, poſt ſeditionem in exercitu ſuo iuxta Placentiam pacatam, Romam rediens, petentibus abſolutiones ob bellum ſeditioneſque peractas, ignominiamque exinde ſecutam, eis qui talia egiſſent debitorum abſolutiones renuit Cenſoreſque rerum emtarum inſtituit, qui debitores creditoribus pecuniæ loco adſcriberent, *Appianus Alexan. lib. 2. bello ciuil.* Diodorus Siculus Bocchoridem, latorem legum, quæ ad commercia pertinent, apud Ægyptios arbitratur legem tuliſſe quoque, vt ſolutio ſolum ex bonis debitoris fieret, nec addiceretur creditori corpus. Putabat enim, inquit, oportere bona tantum ſubdita eſſe debitis: corpora, quorum opera & bello & pace vterentur, ciuitatibus addicta eſſe. Non enim æquum videbatur, milites qui pro patriæ ſalute pericula ſubirent, pro vſuris in carcerem duci, aut ob vnius auaritiam in periculum agi patriæ ſalutem. & addit, Hanc quoque legem videtur Solon ad Athenienſes tranſtuliſſe quam ſeiſachthiam appellauit, decernens ne ob vſuras ciuium corpora necterentur. Nec iniuria quæruntur quidam de nonnullis Græcis legum latoribus, qui arma, aut aratrum, aut aliud quiduis operi neceſſarium prohibeant ob fœnus addici creditori; corpora vero quæ his vtuntur tradi permittant. Hæc Diodorus Siculus *lib. 1. Bibliothecæ. c. 3.*

## Num hoc beneficium ceſſionis locum habeat, quãdo quis pro debito ſe obſtrinxit carceribus, & num renunciare ei expreſſe poſſit debitor. Cap. 15.

1. & 2. 3. 4. *Cedere bonis num poßit qui ſe carceribus obligauit, in vtramque partem excuſſa quæſtio.*
2 *Carcerib. ſe obligans quib. exceptionib. poteſt ſe tueri ne capiatur.*
5 *Carcerum mancipatio debitorum compendioſa via repetitionis debiti.*
6 *Carcerum obligatio quando ceſſionem impedit.*

1 AGitant † quæſtionem quotidianam interpretes, num quis poſſit admitti ad ceſſionem bonorum, ſi ſe obſtrinxit in obligatione debiti carceribus & an beneficio ceſſionis renunciari poſſit, Salicetus Baldus *in l. 1. qui bon. ced. poſſ. C.* Cynus *in ea. l. 1. 6. quæſtio.* Dynus Bartolus, Innocentius, Cumanus & alii, *in l. alia. §. eleganter. ſolut. matr. P.* Felinus, *in c. ſi diligenti. de foro competen.* Et viſum eſt Petro Iacobi, *in pract. titu. de ceſſ. bono.* eum, qui ſe carceribus obligauit, poſſe in carcerem, non obſtante ceſſione, detrudi, ſi obligatio ad carceres conſuetudine vel alio modo comprobetur, huicque beneficio renunciari poſſe, eiuſdem eſt etiam ſententiæ Iacobus Aretinus Fridericus *conſil. 60.* Imolenſis *in c. cum contingat. de iureiur.* niſi calamitas cedentis eſſet notoria. Ita & deciſum fuiſſe ſcribitur in deciſionibus Capellæ Tholoſanæ, *deciſ. 61. vbi Stepha. Aufrerius diuerſas refert ſententias.* ¶ Quia, in-
2 quit † P. Iacobi, verba in obligationis nexu poſita debent aliquid operari, *l. ſi quando, de lega. 1.* Cum etiam is qui hoc nexu vincitur poſſit concludi carcere, vt idem ait, licet dicat ſolutionem factam, donec de ea liquido conſtet & quamdiu litigabitur ea de re, *citat l. 3. de exacto. trib. lib. 10. C.* Niſi negaret quoque ſe captioni ſeu prehenſioni obſtrinxiſſe, & clauſulam illam inſtrumento diceret falſo appoſitam: tunc enim non eſſet carcere detinendus, *Petrus Iacob. in d. tit. de ceßione*, niſi de veritate obligationis doceretur. Et eo magis veram eſſe hanc ſententiam firmant, ſi iuratum eſt pactum, *iuxta c. licet. de iureiuran. in ſext. c. cum contingat. eod. titul. ap. Gregor. ca quamuis. de pac. in ſexto.* Hoc ipſum ſequitur Speculator, *titul. de renuntia. § 1. verſicul. item eſt beneficium.* Secundo, huic ſententiæ ſuffragari videretur, cuilibet eſſe liberum renuntiare priuilegio in ſui fauorem introducto, *l. penultim. Cod. de pact. l. ſi quis in conſcribendo, C. de epiſcop. & cleric.* Et Tryphonius reſpondit, licere ſui iuris perſecutionem, aut ſpem futuræ perceptionis deteriorem conſtituere, *l. pactum. 47. de pact. in P. l. ſi index, de minorib. 25. annor. in P. l. iuriſgentium, § ſi paciſcar. de pact. P.* Porro per expreſſam obligationem carcerum videtur tacita renuntiatio facta, ne vtatur ceſſione debitor qua liberatur a carceribus, *argumento l qui in futurum. 58. de pact.* Quemadmodum tertio loco, quis poteſt tacite renuntiare ceſſioni, eligendo quinquennales inducias, *l. final. & ibi gloſſ. qui bo. ceder. poſſ. Cod.* vel in fraudem creditorum alienando, *l. omnes, §. Lucius quæ in fraudem creditor. P.* nihil itaque prohibere videtur quin eodem modo poſſit expreſſe, & obligando ſe carceribus, hoc beneficium eiurare. Quarto valebit hæc renuntiatio ratione cohærentiæ contractus, ſecundum ea quæ in Velleiano locum habent, *l. iubemus. ad ſenatuſconſult. Velleian.* quando & pacta quæcunque fuerint in rerum traditionibus appoſita valeant, *l. in traditionib. de pact. P. l. legem quam dixiſti, Cod. eod. titul.* Quinto cum non inueniatur hoc pactum prohibitum expreſſe, non eſt quod dicamus ſtare non poſſe, *argumento l. ſancimus. C. de teſtam.* Sexto ſecundum Baldum *in l. 1. qui bo. ced. poſſ.* a contrariis ducto argumento, *l. 1. de iis qui ſunt ſui vel alien. iur. P.* pactum eſt receptum ne quis poſſit carcerari: ergo valebit vt poſſit carcerari. Septimo quemadmodum reſpuendum eſt pactum, quo datur anſa delinquendi, vt mali exempli, *l. conuenior, de pact. dot. P. l. ſi quis aliquid. in 2. § qui abortionis, de pœnis. l. 3. § qui ex ſenatuſconſul. ad l. Corneliam, de ſicar.* ita citius illud admittendum, quod anſam & occaſionem bene agendi præbet, *l. ſine, vt in poſſeßio. le. P.* Porro, inquiunt, boni exempli eſt, & dat anſam bene fideliterque contrahendi, pactum ne quis vitare poſſit carceres, & diligentiores & ſolicitos magis ad ſoluendum æs alienum reddit debitores, vt olim lex illa ſeueriſſima 12. Tabularum, *de qua apud Gellium. li. 20. c. 1.* Octauo aiunt, prouiſionem hominis ſuperare prouiſionem legis *l. fin. de pact. conuen. C. l. antequam. 8. commu. de ſucceßio. C.* & proinde pacto recte tolli beneficium ceſſionis, quod ex prouiſione legis eſt. Nono videtur hanc iuuare ſententiam, quod quis ſe ſeruituti perpetuæ pacto ſubiicere poteſt, venundari ſe paſſus ad pretium participandum, maior & ſui iuris exſiſtens, *§. ſerui autem de iure perſonar. l. ſi miniſterium. de liberali cauſ. cum ſimil.* Licebit itaque quod minus eſt, *c. cui licet. de reg. iur. in ſex.* pretium participanti ex mutuo ſe carceribus eiurata ceſſione ſubiicere. Potiſſimum, & 10 loco, cum volenti non fiat iniuria, nec dolus. *l. cum donationis. C. de tranſact. l. non videtur. de reg. iur. l. venditor. de reſcin. vendit. cum ſimil.* Poſtremo & facto amitti poſſe priuilegium dicitur, *l. pen. de iure dot. P.* ¶ Quibus † argu- 3
mentis firma videtur ſententia, quæ non admittat ceſſionem poſt obligationem carcerum, vel eiurato ceſſionis beneficio. Veruntamen & iuſtior & æquior contraria videtur mihi, vt neque huic beneficio expreſſe renuntiare poſſint debitores neque cum iuramento. Quamobrem, & admitti renuntiantes etiam cum iuramento, & non impetrata iuramenti gratia, placuit recte Senatuſconſulto Gratianopolitanæ ſupremæ Curiæ 22. Nouembris 1459. vt ſcribit Guido Papæus *q. 211.* Et eius eſt ſententiæ Ioannes de Bellouiſu *in § quod autem. de fideiuſſ. in Authent* & alii quidam, *glo. in Auth. Imo. de actio. C. Barto. in l. alia, § eleganter. ſolut. matri. P. Cardin. & Imola, in c. lator. de pignor.* Cuius ratio reddi poteſt quod hæc renuntiatio ſit cõtra communem omnium hominum humanitatẽ naturalẽ: cum interſit hominis hominem affici beneficio, *l. ſeruus, ea lege, de ſeruis exportan. P.* propter illam omnium hominum coniunctionem *l. vt vim de iuſt. & iur. P.* quare contra bonos mores conuentio rata non eſt, qua maritus teneatur, ſupra quam facere poſſit *d. l. alia, §. eleganter,* neq; idcirco iuramentum appoſitum eam firmare poteſt, *c. non eſt obligatorium, de reg. iur. in ſex. l. ſi quis inquilinos. § fin. de leg. 1. l. non dubiũ. C. de ll.* Proniores ſunt ſemp. leges, & iudices ad liberãdum, quam ad obligandum, *l. Arrianus, de actio.* fauorabiliores q;

rei debendi, *l. fauorabiliores. de regulis iur.* illiſque potius dilatio-
nes, quam actoribus dantur, *l. ſi quando, de dilatio. l. petendæ. de
tempor. in integr. reſtitutio. C.* Tertio cum pleniſſime beneficia
principis interpretari oporteat, *l. fin. de conſtitutio. prin. in P. §. ſi
vero ſolum vſumfructum, de nup. in auth. coll. 4. l. 4. de iure immuni-
ta in P.* & in hoc ceſſionis auxilio benigniorem amplectimur
ſententiam. Quarto hæc conuentio, vt ſine ceſſione quis poſſit
carcere detineri, ex diametro aliquid repugnans iuri continere
videtur, vt contra ordinem iudiciorum, prius perſona moleſtiis
afficiatur, & iniuriis, quam bona diſcutiantur, contra quam iura
iubent, *l. a diuo Pio, § in venditione, de re iudic. P.* & prius, contra
iuris præcepta, *l. 1. de exſecutio. rei iud. P.* incipiatur ab exſecutio-
ne, quam a petitione. Et in ciuilibus præcedit captionem pigno-
rum libelli porrectio, *l. conſentaneum, & ibi Bartol. & alii. C. quo-
modo & quan. iudex, idem Bart. in l. cum eo. ad leg. Iul pecul.* neque
rata eſt conuentio partium, qua conuenit, vt ſi debitor non ſol-
uat conſtituta die, poſſit excommunicationi ſubiici, nulla præ-
cedente vocatione, vel contumacia, *Innocent. & Hoſtien. in c. 1. &
6. de offi. delega. Feli. in c. ex reſcripto, de iureiuran. numer.* 13. vtpote
prætermiſſa forma iuris communis & publici, *de qua in c. ſacro,
de ſent. excommu.* quod pactis priuatorum lædi non poteſt, *l. ius
publicum, de pact. P. l. non dubium. C. de legib.* Quinto hoc ius fa-
uore humanæ conditionis potius indultum eſt, quam ſingulo-
rum, vt a priuatis vis illi fieri non poſſit, nec renuntiari, imo in-
uitis conferri poſſit, *l. ſi diligenti, de foro compet.* non ſecus quam
non auditur perire volens, & pro illo qui ad mortem damnatus
eſt, etiam inuito, prouocatio admittitur, *l. ſi non tantum, de appell.
in P. l. addictos, de epiſc. aud. C.* nec ratum pactum eius qui in cauſ-
ſa ſtatus promittit ſe non defenſurum: quia hoc ne ratum ſit &
aliorum proximorum intereſt, *l. 3. & 4. de libera. cauſ. in P.* Sunt
ſæpiſſime debitoribus liberi, vxor, quibus ille alimenta debet,
quoſque occidere videtur ſi non alat, *l. necare, de liber. agnoſc. P.*
& proinde quamuis ſui cauſſa quis indignus ſit, qui iuuetur be-
neficio, monent tamen iudicem iſtæ illi tam coniunctæ & fere
inſeparabiles perſonæ, *l. 2. & 4. de vſu. & habita. li. 8. P. titu. 8 l. re-
prehendenda. C. de inſtitu. & ſubſti. ſub cond. fac. l. cum tale, § ſi arbi-
trio, de additio. & demonſtr. P.* vt earum, cauſſa vel illius miſerea-
tur, vt carcere liberatus victum eis aliquem quærat. Sexto quan-
quam quilibet rerum ſuarum liberum habeat arbitrium, *l. in re
mandata. C. manda. l. nemo exterus de Iudæis. C. cum ſimil.* hoc ta-
men verum eſt, vt eatenus illud approbetur, ſi bene ſentiat, & a-
gat: non aliter, ſi aduerſum leges *l. iuriſgentium, § præter ait, & l.
contra iuris. de pact. P. l. pacta quæ contra, C. eod. tit.* leges autem pro-
hibent ne quis ſeipſo abutatur, *l. palam, de rit. nupt. l. fi. de iis qui
mortem ſibi conſciuerunt, cum ſimil.* & ideo ſtatuunt neminem eſ-
ſe dominum membrorum ſuorum, videlicet vt illis ad nutum,
vt dominus abuti poſſit, *l. liber homo. 13. ad leg. Aquil. P.* Proinde
mirum non eſt, ſi in eam iuerim ſententiam, vt dicam, nec in hac
pactione debiti poſſe hominem ſibi hanc legis benignitatem
adimere. Septimo loco, nec ferenda eſt inhumanitas creditoris,
qui hanc pactionem tueri deſiderat, nec malitiis indulgendum,
*l. in fundo. de rei vindica. in P.* Poteſtque octauo loco is depelli ab
hac petitione, per exceptionem iure probatam, tua non inter-
eſt, *vt in c. 3. de his quæ fiunt a maior. parte capit.* Quid enim inter-
eſt detineri, vel abſolui inopem a carceribus, qui relictis omni-
bus creditori quæ habet, quæve habiturus eſt, nudus, vt ita lo-
quar, e carcere in publicum emittitur? quid inde lucrabitur cre-
ditor, ſi ſqualore & pœdore carceris, & moleſtiis, fameque con-
ficiatur, & vna cum eo eius liberi, & vxor, ob pecuniam vilem
pereant? Quinimo magis creditorum intereſt hos ſolui debito-
res pauperes, vt labore & artificio vel induſtria, quædam alia
præter dimiſſa comparent, ex quibus ſatisfieri illis poſſit, pin-
guiore redeunte fortuna. Neque enim quod differatur ſolutio,
ideo illis aufertur debitum, *l. quoties. de precib. Imper. offer. C.* imo
potius illud deperibit, ſi otioſi pauperes ab illis, vt par eſt, & vt
ſupra notauimus, expenſis propriis nutriti nihil lucrentur, & an-
4 tequam alia quærant moriantur. ¶ Neque † me remorantur ad-
uerſariæ paulo ante relatæ interpretum rationes: quandoqui-
dem, vt ordine ſatisfaciam, prior illa P. Iacobi quæ verba operari
aliquid debere probat, vera eſt rebus ſtantibus in eodem ſtatu
quo erant tempore conuentionis, non vtique illis mutatis, *c.
quemadmodum, de iureiurand.* Iſti autem caſus fortuiti quibus
inopia miſericordia digna ſit, non poſſunt intelligi cogitati tem-
pore conuentionis, cum non ſint in poteſtate hominum, nec in
culpam veniunt, *l. quæ fortuitis. de pigno. act. C. l. 2. § ſi eo tempore. de
adminiſtr. rer. ad ciuit. pertinen. P. l. in rebus, commo. P. l. 1. C. eo. tit* &
aduerſam liberi hominis fortunam exſpectare, neq; ciuile, neq;
naturale eſt, *l. inter ſtipulantem. § ſacram. de verb. oblig.* Et proinde
obligatio carcerum tempore contracti debiti, non poterat in-
telligi, neq; fas erat comprehendi, vel dicere ad ceſſionem bo-
norum pertinere. Sic ad non cogitatam ceſſionem, *in l. tres fra-
tres, de pact. in P. l. qui cum tutoribus, § ſi. de tranſact. P. l. fi. § penul. de
cond. indeb.* vel ad peſſime cogitatam, *l. quoties, qui ſatiſ cog.* carce-
rum obligatio pertinebit. Reiiciuntur & 2. 4. 8. 10. 11. rationes ad-
uerſariæ, quæ cuiq; iuri ſuo & priuilegio aiunt volentibus per-
miſſum renuntiare: nam hoc verum eſt quando lex non vetat,
vel ſi priuilegium illum qui renuntiat tantum reſpicit: at quan-
do plures tangit, non licet, *l. ſi diligenti, de for. comp. l. eius militis, §.
milit. miſſus. de milit. teſta. P.* vt hoc caſu, in quo auxilium ceſſionis
prodeſt non tantum cedenti, ſed liberis, & vxori eius & credito-
ri: & ad communem hominum ſocietatem pertinet, vt docui-
mus: lex quoq; ſtatuit, ne audiatur qui ſponte perire vult, *l. non
tantum, de appella. P.* Et ſi quando denegetur ceſſio, vt eligenti
quinquennales inducias, vt in tertio contrario proponitur, id
non fit propter renuntiationem expreſſam, vel tacitam, ſed pro-
pter pœnam quæ imponitur abutenti priuilegio moratoriæ di-
lationis in fraudem creditorum. Porro argumentum ſextum a
contrariis quod putat ſe conficere Baldus, nec tale eſt, neq; con-
cludit aliquid. Minus ad rem facit ſeptimum, quod dicunt an-
ſam delinquendi ſubmoueri, ſi renuntiatio fiat ceſſionis. Nam
hæc anſa ſatis recipit cautionem a lege, per quam & perfidi, ſine
fortuito caſu, in paupertatem lapſi, & qui celant res ſuas, & qui
doloſe in impetranda ceſſione ſe gerunt, ab ea remouentur, vt
docuimus dum de iis qui cedere poſſunt ageremus: quare con-
tenti eſſe debemus pœnis lege cōprehenſis, & de hiſdē pacta vt
ſuperflua rata nō erunt, *l. ſi ita ſtipulatus. 97. de verb. obl. P.* Quod
autē proponitur de licita ſuiipſius vēditione in ratione cōtraria
9. caſum cōtinet alienum ab obligatione carceris, & ceſſionis, in
quibus quis libertatē ſuam non imminuit. Præterea qui ſe ven-
dit, pſentem habet cauſſam ſeruitutis, ideo recte ei iugum volēti
imponitur nullo tempore excutiendū, quod libertatem præſen-
tem pecunia ſeruili animo volens abſolute a ſe abdicauerit. At
qui mutuū accipit, & ſe carcerū nexui ſubiicit, eius non eſt, imo
diuerſi generis: nam mutuum reddere decreuit, ratione naturæ
obligationis, & ita de libertate amittenda nunq̃ turpiter cogita-
uit, nec cogitaſſe credendus eſt: & quāuis ſe carceribus obligarit,
illud tantū vt detineretur, ſaluis facultatibus & bonis ſufficienti-
bus conceſſiſſe videtur creditori, vt illi expeditior via eſſet ſolu-
tionis faciendæ. ¶ Nam ea † via & minorib. ſumtibus, quam ex- 5
ſecutione & diſcuſſione bonorū, creditoribus conſultum eſt, *vt
ait Paul. Caſtr. in l. 1. qui bon. ced. poſſ. C.* & demus expreſſe renūtia-
tum ceſſioni, hoc vt diximus, factū eſt, ex cōditione ſubintelle-
cta rebus ſic exſtantibus, vt dictū eſt. Cum caſus fortuiti pṽideri
non poſſint, nec de iis cogitauerit qui contraxit, & renuntiauit,
videlicet, quod tunc cum contraxit eſſet ſoluendo. Nam qui cū
contrahit ſcit ſe non eſſe ſoluendo, poſtea ceſſione vti non po-
teſt, *Iaſ. in § fi. de actio. num. 19. fac. l. pen. in fi. de iur. dot.* vt nec is qui
ſpe ceſſionis cōtraxit, *Ioannes de Platea, & Iaſ. nu. 28. in § fi. de acti.*

¶ Sunt † adhuc tamen quædam diſtinctiones, ſecundum ea 6
quæ placuerūt auditoribus Rotę, perpendendæ. Nam inquiunt,
*deciſio. Rotæ 567. in antiq.* ſi detentio carceris poſſet iuuare aliquo
modo creditorē, valeret eiuratio ceſſionis: veluti ſi debitor ami-
cos habeat vel pximos, qui veriſimiliter non patiantur eum car-
cere detineri, ſed ſint pro illo potius ſoluturi: vel q fugere velit
debitor: vel ei paulo poſt ſint bona obuētura ex quibus debitum
vel pars ſolui poſſit: vel forſan, quia erro & vagabundus, nec cu-
raret quippiā ſibi quærere, cū poſſet, vt ſolueret: aut ſi iurata eſ-
ſet renūtiatio ceſſionis: dūmodo a carceribus adimatur ſæuitia,
nec inde tollatur libertas. Ego in iſtis iudiciū eius qui de lite co-
gnoſcit maxime deſidero, vt pvide diſpiciat, num iuſtū ſit mole-
ſtari debitorē, ſub ſpe q alius illum adiuturus & redemturus ſit:
anve mala facienda ſint, vt inde eueniant bona, contra decretum
eccleſiaſticum, *vt c. ſup.* Ideo autē carcere torquēdum eſſe debi-
torem, quod erro, quod acquirere ſibi non procuret, minus cer-
te ex auctoritate priuatæ obligationis mihi pendere poſſe vide-
tur: cum q non ſint ſingulis concedēda quæ per magiſtratus fie-
ri poſſint, *l. non eſt ſingulis, de reg. iur. in P.* tum etiam, quod debi-
tor in fraudem creditoris facere non videtur, ſi non acquirat
q quærere poteſt, *l. qui autem, quæ in fraudem creditor.* Satis quoq;
mihi non probatur vim in iuramento conſtituere, quando iura-

mentum

mentum vinculum iniquitatis non eſſe recte placuerit, *c. quanto. & c. Quintauallis. de iureiur. cap. inter cetera. 12. q. 4.* & ſingulari deciſione mandatum ſit iuramenta illa irrita eſſe, eorum qui pollicentur iurato ſe humanitatis ſubſidia denegaturos. *ca. cum quidam. c. 12. §. 1. de iureiur. apud Grego. dicto ca. Quintauallis. eod tit.* Ideo tutum Chriſtiano nõ erit, his excuſationibus & circumſtantiis perſonam propter pecunias affligere. Tutius autem illis erit qui immanes ita ex profeſſo eſſe decreuerint, ſi caueant cautius negotiari.

## De Condictione indebiti. Cap. 16.

Lib. 12. P. tit. 6. Lib. 4. C. tit. 5.

1 *Condictio indebiti affinis mutuo.*
2 *Quid condictio indebiti.*
3 *Ex æquitate hæc condictio indebiti quomodo dicatur competere.*
4 *Indebitum quot modis, vel ciuili, vel naturali, vel vtroq; iure: in quibus, res perſonæ, & modi ſoluendi conſiderantur: propter quid, & quare.*
5 *Naturaliter debitum per errorem ſolutum non condicitur, nec aliquo modo debitum.*
6 *Et indebitum quid dicatur, ſi exceptione perpetua tolli petitio poſſit.*
7 *Condictio indebiti quomodo differat a condictione debiti cauſſa dati non ſecuta, antinomiaq; conciliata.*
8 *Indebitum 2. ex cauſſa inutili ſolutum.*
9 *3. Quomodo indebitum ratione perſonarum dicitur.*
10 *Ex parte modi debiti indebitum ſoluitur, quomodo.*
11 *Scienter indebitum ſoluens, non repetit.*
12 *Finis condictionis huius, repetitio indebiti, & aliorum quæ ſimul reſtituuntur.*
13 *Rationes huius condictionis.*
14 *Condictio indebiti competit pro promiſſione etiam ſoluendi indebitum, ſi erronee fiat.*
15 *Qui aſſerit indebitum, probare debet.*

1 AFfinis † mutuo videtur tractatio condictionis indebiti, qua ſolutio erronea, vel mutui præſumti, vel alterius generis emendatur, & aliud ex ſolutione hac mutuum, vel quaſi mutuum ex quaſi contractu re celebrato naſcitur. *§. item is cui. de oblig. quæ ex contractu naſc. §. is quoque. quib. mod. re contrah. oblig. l. 1. §. fin. de condict. indebiti. C.* Quid condictio ſit, ſatis alibi explicatum eſt, & eſſe actionem in perſonam, *l. actionum genera. de actio. §. appellamus. de actio. apud Iuſtin.* cum agimus cum eo qui ex cõtractu ob-
2 ligatus nobis eſt. ¶ Porro † condictio indebiti eſt, actio perſonalis, qua repetimus quod indebite ſolutum eſt ignoranter: nam, vt ait Iulianus, is qui non debitam pecuniam ſoluit, hoc ipſo aliquid negotii gerit. *l. ſi in area, 33. de condict. indebi. P. l. ſi is qui. 13. commodatum. § fin. commoda. P.* Verum illud, ſi certiorem rationem ſequamur, potius ad diſtractum, quam ad cõtractum pertinet: nam qui ſoluendi animo dat, in hoc dare videtur, vt ex ſua parte potius diſtrahat, quam contrahat: ſed ex parte eius qui accipit, is perinde obligatur ac ſi mutuum ei daretur, & proinde condictio indebiti contra eum competit. *d. §. item is cui per errorem, de obliga. quæ ex*
3 *quaſ. cont. & l. 4. § is quoque. de actio. C.* ¶ Et † ita fictio quædam contractus, quam quaſi contractum nominamus, in hac condictione intercedit ex æquitate, vt adſit actio, quæ ſine aliqua obligatione eſſe non poteſt, *l. licet, §. ea obligatio, de procurat. P.* nec datur condictio pro repetitione rei propriæ, niſi contra furem. *§. ſic itaque diſcretis, de act. P. & §. appellamus, eod. tit.* Atque ita in indebiti condictione oportet quodammodo, vt in mutuo pecuniæ alienæ conſumtæ & confuſæ, exiſtimare ſolutum tranſiſſe in dominium accipientis. *l. indebiti, §. 1. de condict. indeb. P.*

4 ¶ Indebitum † dicitur, vel naturali iure, vel ciuili, vel vtroque, & in his conſideramus res ſeu obligationes & cauſſas ſoluendi: perſonas a quibus, & quibus fit ſolutio: & modos ſoluendi, quorum ſit condictio: propter quid, & quare concedatur. Condictio indebiti ſoluti exigit, ex parte rerum & pro materia, vt ſolutum omnino indebitum ſit quod ſoluitur & ciuili & naturali iure, id
5 eſt, vt nullo modo debitum ſit. ¶ Nam † ſolutũ debiti naturaliter tantum, per errorem non repetitur condictione hac, *l. naturaliter. 13. de condict. ind. P. l. frater a fratre, 38 § quæſitum; eod. tit.* nec in diem. Nec debitum ante diem ſolutum, *l. in diem, 10. de condict. indeb. P.* nec ante conditionem impletam, quæ certo implenda *l. ſub condit. 16. eod tit. P.*

6 ¶ Itaque † indebitum accipitur, non ſolum ſi omnino non debeatur, ſed ſi per aliquam perpetuam exceptionem peti non poterat, *in l. ſi non ſortem, 26. §. indebitum, & §. ideo, eod. titu.* ſi exceptio perpetua, fauore ſoluentis inducta, non autem ſi tertii cauſſa, *l. qui exceptione perpetua, 40. eod. P.* vel ſoluentis etiam, ſed iuris rigore, *l. Iulianus, 60. & l. iudex, 28. eod titu. de condict. indeb.* vel ſi temporalis ſit exceptio *l. in diem, eo. ti. P.* Et in ſumma, ſolutio facta ex his cauſſis, quæ iure non valuerunt, vel effectum non ſortiuntur, condictione repetitur. *l. ex his omnibus, 54 eod. titu.* Indebitum itaque primo erit, ſi nulla ſubeſt cauſſa ob quam debeatur, ſubeſſe tamen putatur: vt ſi quis ſoluat ex cauſſa quaſi facta, quæ facta non eſt: vt ſi pœnam dupli vel quadrupli ſoluat ex falſa cauſſa, *l. eleganter, 23. §. fin. eod.* ſi putans ſe debere ſortem, vſuras ſoluerit. *l. ſi non ſortem, 26. §. ſi quis falſo, & § ſi quis quaſi, eod. titu.*

¶ Et † hanc condictionem indebiti, in hoc capite, puto differ- 7
re a condictione cauſſa dati, cauſſa non ſecuta: quod in hac indebiti ſolutio repetitur, quia facta ob id quod factum credebamus, & in ea iam factum præſupponimus: at in condictione cauſſa dati, iam datum erat, vt quid fieret, & quia factum non eſt, datum repetitur, *l. 1. de condictio. cauſſa dati, cauſ. non ſecuta; lib. 12. P. tit. 4. l. ſi cum exiguam 4. & l. dictam legem, 8. de condict. ob cauſ. lib. 4. C. tit. 6. l. 1. de cond. ob turp. cauſ. P.* niſi conditio ob quã datur, pro impleta habeatur. *vt in l. penult. & fin. de condit. ob cauſ. C. l. ſi pecuniam, 5 eod. de condit. cauſſa, tit. P.* Magis accedit noſtræ condictioni ſolutionis indebitæ ex falſa, vel nulla cauſſa, ea condictio quæ ſine cauſſa eſt, quæ cum hac concurrere poteſt, per quam condicitur, quod vel ex non iuſta cauſſa ad aliquem peruenit, vel ex eo quod redit ad non iuſtam cauſſam, *l. 1. & 4. de condictio. ſine cauſſa. lib. 12. P. titu. 7. l. perpetuo, 6. de condict. ob turp. cauſ. fact. in P.* vel ſi ob cauſſam impoſſibilem datum eſt, non turpem tamen, *l. fin. de condict. ſine cauſ. in P.* nam ob turpem cauſſam datum nõ repetitur a dante, ſed vel remanet penes accipientem, concurrente ex vtraque parte, dantis & accipientis, turpitudine, *d. l. fin. de condict. ſine cauſ. P. lib. 2. & l. mercalem, l. 5. de condit. indebit. ob turp. cauſ. C. l. 1. & pen. eo. titu. P.* qui tamen ſi ante ſolutionem peteret, recte propter turpem cauſſam a petitione ſubmoueretur. *l. 1. & l. mercalem, 5. de condict. ob turp. cauſ. C. l ſi ob turpem, 8 eod. tit. in P.*

¶ Item † ſecundo, indebitum dicitur, cum ſubeſt quidem cauſ- 8
ſa, ſed inutilis: vel quia ipſo iure contractus non valet, aut is poſtea inutilis factus eſt: vt ſi quis rem ſuam emerit, & pretium ſoluerit, *l. ſeruum meum, 37. de condict indeb. P.* quia rei ſuæ emtio non valet, *l. ſuæ rei, & l. ſi in emtione, §. rei ſuæ, de contrah emt. P.* vel ſi quis ſeruum manumiſerit, & ei pecuniam ex teſtamento dederit, & poſtea ingenuum eſſe pronuntiatum eſt, *l. ſeruo manumiſſo, 58. de condi. inde. P.* ſi poſt ſolutum legatum, indebitum fuiſſe appareat, *l. frater a fratre, 38. §. fin. eo. tit. de condict. indeb. P.* & ſic de ſimilib.
¶ Tertio, † indebitum ratione perſonarum dicitur, cum ſubeſt 9
cauſſa, eaque iuſta, ex qua debetur, ſed vel is qui ſoluit non debet, vel ei cui ſoluitur, non debetur, *l. in ſumma, 65. §. fin. eo. P.* itaque is qui ſoluit, ſi non debeat ſoluere, repetet, vt ſi furioſus, prodigus, pupillus ſine tutoris auctoritate ſoluat, *Vlp. l. interdum perſo. 29. eo. tit. P.* & ſic in aliis. *l. ſi pœnæ, 19. §. 1. l. repetitio 44. l. in ſumma, 65. de condict. indeb. P.* Notant in hac parte Tribonianum Laurentius Valla, & poſt illum Budæus *ad l. fin. de ædil. edict. in anno. priorib. ad Pan.* dum duo loca, in conſarcinatione legum, ex diametro pugnantia poſuiſſe illis videtur. Vnus eſt ex Pomponio, dum ait, *in l. ſi pœnæ, 19. §. quamuis, de condict. indeb. P.* Quamuis debitum quis ſibi recipiat, tamen ſi is qui dat, non debitum dat, repetitio competit. Quod pugnare dicunt cum Paulo, dum ait, *in l. repetitio, 44. de condi. indeb.* Repetitio nulla eſt ab eo, qui ſuum recepit, tametſi ab alio quam a vero debitore ſolutum eſt. Ego tamen arbitror ibi nullam eſſe antinomiam: nam vtrunque verum eſt, & diuerſum. Aliud eſt enim quod Pomponius ait, non debitum dare ei qui ſibi recipit: & aliud ſuum dare, vt ait Paulus. Nam qui debitum dat, reſpectu dantis debitum non eſt, dum quantitatem creditori quidem, ſed non ſuo, ſoluit: at quando ſuum cuiq; redditur, ſiue a debitore, ſiue ab alio, nihil intereſt creditoris. Puta, commodaſti Sempronio librum, Caius, qui librum apud ſe habebat, tibi reddidit: ſi reſtituat, ſoluit tibi tuum, & tamen ipſe debitor non erat, ſed quia tuum repetiiſti, nihil intereſt a quo, nec reſtituere cogeris, vt indebitum. At contra in aliis debitis, quæ ſunt ex obligatione ſolutionis faciendæ alterius rei quam indiuidui.
¶ Ex † perſona eius cui ſoluitur, ſi ei non debeatur, repetitionem 10
competere docet exemplum ſolutionis falſo procuratori factæ, rato non habente domino, *l. ſi procuratori, 14. de condict. cauſ. dat. P. l. procuratoris, 8. & l. indebitum ſolutum 9. de condict. indebit. C. l. ſi procurator, § Celſus, eo. tit. in P.* cui alia ſimilia pleraq; occurrunt. Item quarto, ex ratione ſolutionis, & quantitatis indebitum di-

cetur & repetitio competit, vt ſi plus debito ſoluitur, *l.ſi pœna,19.*
*§.fin.& l.cum duo,25.l.ſi non ſortem,26.in princ.& §.ſi centum, l.ſi*
*is qui,45.& l.fin.§.Stychus,de condict.indebi.in P.& l.25.de ſoluti.*
*lib.46.P.tit.3.* ſi ſub conditione debitum, ante eius euentum ſol-
uerit, *Pomp.in l.ſub conditione,16.de condi.inde.P.lege quod ſi ſub*
11 *ea,18.eo.tit.vbi diſtinctio obſeruanda.* ¶ In † ſolutione quoq; in-
debiti, non ſufficit ſolui indebitum ad effectum repetitionis, ſed
exigimus quoq; vt ignoranter indebitum pro debito ſolutum ſit,
quippe quia indebitum ſciens prudenſque ſoluens non repetit,
*in l.1.& l.qui indebitum,de cond.indeb.in P.l.indebitum, C.eod.titu.*
*l.cuius per errorem,de reg.iur.l.eum qui,21.§.1.de inoffic.teſtam.* eo
quod qui ſciens indebitum ſoluit, donare videtur, *l.Campanus,de*
*oper.liber.* & proinde, qui, cum ſciret ſe exceptione perpetua tu-
tum, ſoluit, non repetit. *l.ſi non ſortem,§.indebitum, & l.qui exce-*
*ptione perpetua, de condi.indeb.in P.* Qui dubitat autem num de-
beat, pro ignorante habendus eſt, & pari modo repetit. *l.pro du-*
*bietate,de condi.indeb.C.* Verum hic ignorantia facti, non iuris, in-
telligenda eſt excuſabilis. *l.ſi per ignorantiam, C.eod.titu.de condi.*
*indebi.l.error.C.ad l.Falcid.*

12 ¶ Finis † propter quem inducta eſt condictio hæc, eſt repetitio
eius quod ſolutum eſt, aut eius quod tantundem habeat, *Pompo.*
*l.quod indebitum,7.de condi.indeb P.* vel eius quod verum excedit
debitum. *l.ſi non ſortem,§.ſi centum,& ſeq.de condi.indebi.P.Scæuo.*
*l.tutores,61.eo.tit.l.cum amplius,85.de reg.iur.in P.* In frumento in-
debite ſoluto & bonitas eſt, & ſi conſumtum ſit frumentum, pre-
tium repetitur. Sic habitatione data, pecuniam condicam, non
quidem quanti locare potui, ſed quanti tu conducturus fuiſſes,
qui accepiſti. *l.in ſumma,65.§.in frumento,de cond.indebit.* Paulus
quoque in condictionem venire indebiti ſoluti, id quod rei ſo-
lutæ accedit, reſpondit: vt puta, partum qui ex ancilla natus ſit, vel
quod alluuione acceſſit: imo & fructus, quos is cui ſolutum eſt
bona fide percepit, *in l.indebitum ſoluti.15.& l.ſi non ſortem,§.ſed*
*ſi operas,verſic.& interdum,l.ſi urbana prædia,55.§.fin.l.in ſumma,*
*65.§.ei qui,de condi.indeb.l.videamus,38.§.item ſi indebitum,de v-*
*ſur.lib.22.P.tit.1.* & vſuræ, *l.fin.§.fin.de conſt.pecunia.lib.13.P.tit.5.*
*l.1.C.de condi.indeb.* deductis tamen impenſis quas fecerit reſti-
tuens in res conſeruandas, vel excolendas, aut ad fructuum colle-
ctionem. *l.in ſumma,65.§.ei qui,de condi.indeb.in P per rationem*
*l.fundus,famil.erciſcund.P.*

13 ¶ Cur † autem indebiti repetitio fiat, ratio prior eſt, quod actus
agentium, non operantur vltra illorum intentionem, *l.non omnis*
*numeratio,de rebus credit.in P.* neque præter naturam & ſubſtan-
tiam ipſius actus, *l.vbi ita donatur,de dona.cauſ.mor.P.l.cũ precario,*
*de precar.P.* ſoluentis autem intentio, & natura ſolutionis alia nõ
eſt, quam vt liberatio ſequatur debiti, *l.ſolutionis,176.de verb.ſign.*
*l.ſolutionis de ſolut.in P.* & proinde, cũ liberatio ibi dici non poſſit,
vbi obligatio non pceſſit, cũ priuatio pcedatur ab habitu, *l.Iulian.*
*de diuor.in P.l.decem,de verb.obli.* & cum nõ entis nullæ ſint qua-
litates, *l.eius qui in prouincia, de reb.cred.P.* recte introductũ eſt, vt
eius q ita datũ eſt, condictio danti daretur ex æquitate naturali,
per quam, quod alterius apud non dominum ſine cauſſa reperi-
tur, repeti conſueuit, *l.hæc condictio,66 de cond.inde.in P.* & ſic re-
cte iubet præſes ab alieno abſtinere, & ſuum cuique domino re-
ſtitui, *l.ſi irruptione,8.finium regund.P.* ſecundum iuris commu-
ne præceptum, ius ſuum cuique tribuendi. *§.iuris præcepta, de iu-*
*ſtit.& iur. apud Iuſtin.* Et ſecundo, iure naturæ æquum non eſt,
locupletari quenquam cum alterius iactura. *l.nam hoc natura, de*
*condit.indeb.P.l.iure natura, de regul.iur.c.locupletari,eod.tit.in 6.*
Item tertio qui ſoluit, præſumtione generali præſumitur nolle
iactare ſuum, *l.cum de indebito.de probatio.P.* & idcirco pactum
tacitum ſubintelligi debet, ſi debeatur. Itaque ſolutum, vt inde-
bitum repetetur.

14 ¶ Quod † & locum habet in promiſſione eius indebiti ſol-
uendi, quod promittens putabat errans debitum: id eſt, vt pro-
miſſio condicatur, & conuentus ad ſoluendum quod vt debitum,
indebitum cum eſſet ſoluere promiſit, exceptione doli tutus ſit,
& incerti condictione agere poſſit, vt liberetur a promiſſione
per errorem facta. *l.ſi heres teſtamento,5.de actio.empt.P.l.2.§.aliud,*
*de donation.in P.l.1.2.3.de condict ſine cauſ.* Nam dolo facit, qui
petit quod ſtatim reſtituturus eſt, *l.doloſa it 8.de exceptio.doli.* re-
peteret autem ſolutum ex illa erronea obligatione, ſi ſolueret
promiſſor. *l.ſi cum te, de pact.P.* Item dolo facit, qui petit, cum
poſſit qualibet exceptione excludi. *l.2.§.& generaliter,de dol.mal.*
*except.in P.* Quare tertio loco, cum ſoluta ab ignorante indebita
quantitas perpeti poſſit, multo facilius quantitatis indebitæ, in-
terpoſitæ ſcripturæ condictio competet: veluti doli exceptione
agenti interponitur. *l.3.C.de condict.indeb.* Nam cui damus actio-
nem, multo facilius ei damus exceptionem. *in d.l.1.§.is autem,de*
*ſuperficieb.* Sunt & iura, quę præter intentionem cum errore cau-
ta condici iubent, *l.ſi indebitum,& l.nec intentio,de tranſact.C.l.ſi*
*non eſt de condict.ex lege,l.2.C.de condi.indeb.l.ſi non tranſactionis,6.*
*de iur.& fact.ign.C.* quod & in cautione indebitæ pecuniæ locum
habet, ſi quis vltra quam debuit cauerit, *l.4.de condi.indeb.C.* ve-
luti, ſi quis plus, quam ſit hereditaria portio creditori hereditario
caueat, *l.is qui plus,31.eod.titu.de cond.indeb.P.* condicet vel hac
condictione indebiti, vel condictione ſine cauſſa. *l.qui ſine,de con-*
*dict.ſine P.cauſ.in P.*

¶ Ceterum † obſeruandum, vt is qui ſe indebitum vel ſoluiſ- 15
ſe, vel promiſiſſe aſſerit, teneatur probare, *l.cum de indebito,c.25.*
*de probatio.in P.* niſi mulier, minor, agricola, & aliæ ſimplices
perſonæ ſoluerint. *d.l.cum de indebito.*

## De Caſibus exceptis a conditione indebiti.

## Cap. 17.

Can. hæc imago. 83.q.5.c.1. de conceſſio. præbend. L.1.de diuortiis in P.l.2.
de iureiurand. C.

1 *Non repetitur Solutum ex cauſſa iudicati vt indebitum.*
2 *Nec ſolutum ex iureiurando delato.*
3 *Nec ex cauſſa tranſactionis.*
4 *Nec ex cauſſis quæ creſcunt per inficiationem.*
5 *Nec ex ſoluto ex pia cauſſa.*
*Pia cauſſa quæ.*

PVtant † interpretes, *glo.in l.1.C.de condict.indeb.gl.in l.elegan-* 1
*ter,§.fin.eo.P.* caſus quoſdam ſingulari iure a condictione hac
exceptos, in quibus ſolutum indebitum per errorem non eſt re-
petendum: quos tamen ego non pertinere ad regulam repetitio-
nis indebiti, arbitror, & ita perperam eximi ab ea, cum exceptio
debeat eſſe de regula. *l.nam quod,§.pen.l.de leg.* Verum nihilomi-
nus eſt, ex illis cauſſis ſolutum, occaſione indebiti non repeti: pro-
inde hos caſus referam cum ſtricta diuerſitatis ratione. Primo, ex
cauſſa iudicati ſolutum hoc prętextu, tanquam fuerit indebitum,
non repetitur. *l.1.de cond.inde.l.eleganter,§.1.& l.Iulianus,eod.tit.*
*in P.l.ſi fideiuſſor,in 1.§.in omnib.mand.* Idque quia ſententia quæ
tranſit in rem iudicatam, pro veritate habetur, *l.ingenuum,de ſtat.*
*homi l.res iudicata,de reg.iur.* & ſententia inducit obligationem,
*l.quoties,7.de noxal.act.P.l.3.§.idem ſcribit, de pecun.* & datur actio
in factum ex re iudicata. *l.actori,de reb.cred.C.* Nec mirum ſi con-
dictio indebiti non competat hic, ſi forſan doloſe, quod non de-
bebatur perſecutus fuerit actor, & accepit: quia & alia remedia
dantur reo pro repetitione, indebite detecto, contra ſententiam,
vt reſtitutio in integrum, ſi non legitime quis fuerit defenſus: &
ex modico reſtituitur ad totam cauſſam, *l.quia abſentem,C.de pro-*
*curat.l.ſi prætor.de iudic.P.l.1.quib.ex cauſſis maio.l.pen.quomod.&*
*quando iudex.* ſi ſententia contra abſentem non contumacem ſit
lata, *l.ſi vt proponis,1.l.ea quæ,l.pen.C.quom.& quan.iud.l.abſente,*
*de pœna,C.c.cauſat 3.q.9.* ſi ſupplicatio aduerſus eam proponatur,
*authen.quæ ſupplicatio,de preci.Impera.offer.C.* ſi agatur crimine
ſtellionatus, pro recepto indebite, ex cauſſa ſententiæ. *l.ſi fideiuſ-*
*ſor,in 1.§.in omnib.mand.P.*

¶ Secundus † caſus, quando ex iureiurando præſtito ab aduer- 2
ſario ei delato, indebitum ſolutum apparet: nam habito reſpectu
ad iuſiurandum, ſolutum ex eo non dicitur omnino indebitum,
ſed vel ex iureiurando debitum, quod controuerti non poteſt, vt
*in l.1.de reb.credit.C.l.admonendi,§.fin.de iureiur.in P.* quod ex eo
quæratur actio & exceptio, *l.nam poſteaquam,9.§.1.& l.ſi duo pa-*
*troni,13.§.ſi quis iurauerit, de iureiurand.in P.* quia multo maio-
ris eſt auctoritatis quam res iudicata. *l.2.de iureiur.in P.*

¶ Tertius † caſus eſt in tranſactione, ex qua ſolutum, quamuis 3
ante videatur fuiſſe indebitum, tamen non repetitur, *l.2 C.de re-*
*bus credit.l.ſi non tranſactionis cauſſa,de iuris & fact.ign.C.* quia in-
debitum proprie dici non poteſt, aut ſine cauſſa ſolutum: ſatis e-
nim lucratur qui a lite diſcedit, & ideo tranſactio cauſſam potius
habet ſoluendi litem, quam debitum, vel indebitum præcedens.
*l.in ſumma,65.de cond.indebit.l.fratris,C.de tranſact.*

¶ Quartus † caſus in ſoluto indebito ex cauſſis quę creſcunt per 4
inficiationem, quod non repetitur, *l.ea quæ,de cond.inde.C.§.fin.*
*de oblig.quæ ex quaſi contract.naſcunt.* veluti in ſoluto ex cauſſa legis
Aquiliæ, *l.ea quæ,C.de l.Aquil.§.ſi.de oblig.quæ ex quaſi contra.naſc.*

legati,

legati, *§.fi.de oblig.quæ ex quaſi contract.* depoſiti ob ruinam, incendium, aut naufragium, *§.in duplum, de actio.l.2.§.merito, depoſit.P.* & ſimilium. Quia in his quæ creſcunt per inficiationem, qui ſoluit, licet indebite, videtur tranſigere, ideo, quod ſupra debitum ſoluitur, tanquam ex tranſactione ſolutum, non repetitur.

5 ¶ Quintus † caſus in indebito ſoluto ex pia cauſſa, *d.§.fin.de oblig.quæ ex quaſi contract. facit l.cum is, §.penul.de condict.indeb.* quia quæ in piam cauſſam erogata ſunt, etſi iure ciuili non habeant obligationem, tamen natura & officio Chriſtianæ religionis obligationem habere videntur.

6 ¶ Pia † cauſſa dicitur, omnis actus qui ad ſalutem animæ principaliter pertinet, *Bald.in l.1.4.colum.C.commu.de lega.* ſi fiat legatum, vel donatio monaſterio, vel pio loco, *c.fin.de teſtam.* ſi in dotandas inopes puellas collocentur ſolutiones, vel in alendos pauperes, & ſic de ſimilibus. Pia quoque loca, eccleſiæ, hoſpitalia, & alia loca vbi ſunt miſerabiles perſonæ, *in l.ſi quis ad declinandam, & l.orphanotrophos, de epiſc.& cler.C.l.illud.& l.ſancimus, C.de ſacroſanct.eccleſ.C.* pietas in Deum, parentes, & patriam: nam & quæ quis miſericordia motus in hos expendit, non repetit, vtpote qui donare velle videatur, *l.at ſi quis, §.ſed interdum, de religio.& ſumpt.fun. cum diſtinctione ibi appoſita.* item ſi in propinpinquos, vxorem vel maritum. *l.alimenta, C.de negot.geſt.l. Neſennius Apollinaris, & l.is qui, 46.de negot geſt. P.l.1.& l.ſi paterno affectu, eo.tit.C.*

# DE ALIIS CONTRACTIBVS QVI RE FIVNT,

## LIBER XXIII.

### De Commodato. Cap. 1.

Ap. Iuſtinia.lib.3.tit.15.§.item is cui. P.lib.13.tit.6. C.lib.4.lib.23. in Decretal.lib.3.tit.15.

1 *Commodatum re celebratur, vnde dictum, & quid.*
2 *Quæ res in commodatum veniunt, alienæ, ſoli, mobiles.*
3 *Perſonæ idoneæ commodato, quæ ſe poſſunt obligare, prædones, non domini, filiifamilias, ſerui, &c.*
4 *Conuentiones, & modi adiecti ſequendi circa periculum & alia.*
5 *Gratuitum eſſe debet commodatum.*
6 *Rei commodatæ vſus tantum, iſque certus conceditur, quo differt a mutuo.*
7 *Commodatum non poteſt reuocari, niſi expleto vſu ad quem datum, & tempore conceſſo.*
8 *Differentia commodati, depoſiti, & precarii.*
9 *Qui vtitur re commodata vltra vſum certum, & tempus, inuito commodante, furtum facit.*
10 *Diſtinctio in periculo, vel interitu, vel damno rei cuius gratia commodata ſit.*
11 *Quomodo culpa interitus, vel detrimenti rei perpendenda ſit ex vſu.*
12 *De tribus actionibus commodati, directa, contraria, vtili.*
13 *Directa repetuntur cōmodata, & acceſſoria, & id quod intereſt, non obiecta compenſatione, niſi ex cauſſa contraria.*
14 *Directa datur commodatario pluribus de cauſſis enumeratis, vltra exceptionem compenſationis.*
15 *De Vtili, Directa, & Contraria.*

1 COmmodatum † inter contractus qui re contrahuntur annumeratur, *§.item is cui, ac quib.mod.re contrah.obl.* commodatum, quaſi cum modo datum, modus autem dandi præſcriptam habet formam, quæ ſic in finitione ſubſtantiali euoluitur. Commodatum, eſt rei alicuius, inter idoneas perſonas, facta ad certum vſum, vel tempus gratuita conceſſio. Diffinimus hic in ſpecie commodatum, non prout poteſt in latiſſima ſignificatione mutuum continere, *pro mutuo accipit Cicero commodatum, 6.in*
2 *Verrem*, & precarium, de quo paulo poſt. ¶ Proprie † res quæ commodantur, eius cui commodantur eſſe non debent, quia res domino non poſſunt commodari, *l.qui rem, 15.depoſit.P.l.neque pignus, de reg.iur.in P.* alienæ ergo commodantur, ſiue illæ ſint mobiles, ſiue ſoli, ſublata differētia Labeonis, qui commodatum dicebat eſſe rei mobilis, non etiam ſoli, & vtendam dari ſoli: nam & Iulianus ait, & habitationem commodari poſſe, *l.1.§.inter commodatum, commo.in P.* id eſt, domum commodati gratia habitandi, verum pro implenda promiſſione, actio præſcriptis verbis nō commodati, datur, *l.ſi gratuitam, l.18.de præſcr.verb.lib.19.P.tit.5.* ſic enim habitandi ius, id eſt, vſus domus commodatur. Recte & ſeruitutes ad certum tempus conceſſæ alicui commodabuntur, vel melius accōmodabuntur, id eſt, aptabuntur vſui alicuius, permittēdo alicui illis vti: vnde & merces quæ pro domo alio modo ſolueretur, donata videtur. In ædibus enim alienis, inquit Pomp. *l.in ædib.9.de don.lib.39.P.tit.5.* habitare gratis, donatio videtur: id enim idipſum capere videtur qui habitat, quod mercedē pro habitatione non ſoluit. Et Cicero *4.ad Heren.* ait cuidam ædes maximas ad nuptias accommodaſſe. Commodati & noſtra, & res aliena poteſt. *Paul.in l.commodare poſſumus, 15.Martia. in l.ita vt is, commo.in P.* Quare & prædoni, commodati, pro re ab illo data, datur. *l.non a iudice, 64.de iudi.lib.5.P.titu.1.& d.l.ita.* Non poteſt commodata res dici, id eſt, non poteſt commodari res, quæ vtendo conſumitur, *l.3.§.fi.commo.in P.* niſi forte quis ad pompam vel oſtentationem accipiat. Et ſæpe etiam ad hoc commodantur pecuniæ, vt ditis gratia numerationis loco intercedant, vt numerentur, vt quis ditior appareat: vel quę numerantur diuitis gratia qui ſoluendo aliunde eſt, in negotio in quo numerationē interuenire opus eſt, rationem cōmodati habent. ¶ Perſonæ † idoneæ ad cō- 3
trahendum cōmodatum, & ad obligationē eius ſunt, q̃ per ſe obligari poſsūt generaliter: quo fit, vt impuberes cōmodati actione non teneātur, quoniā non conſiſtit cōmodatū in pupilli perſona ſine tutoris auctoritate: vſq; adeo, vt etiāſi pubes factus dolū aut culpā admiſerit, hac actione non teneatur, quia ab initio nō conſtiterit. *Caius in l.4.eo.tit.* Nec in furioſum cōmodati actio danda, ſed ad exhibendū, vt res exhibita vindicetur, *l.1.§.fi.commod.* ſi locupletiores tñ facti ex cōmodato ſint, datur vtilis actio in eos cōmodati. *in l.2.eo.tit.* Filiofamilias maiori, & ſeruo cōmodari poteſt: & agitur cū patre & domino, in quantū eſt in peculio, cum filiofamilias directo. *l.3.eo.P.* Et p̃do, & fur, vt dictū eſt, cōmodare
poſſunt. ¶ Inſpicimus, † ꝙ contrahitur, & modū adiectum, qui ꝓ 4
formula & lege habetur, & ſequimur ꝙ placuerit: vt ſi conueniat vt dolus, caſus fortuitus, & culpa p̃ſtetur ab eo qui accipit, vel cōtra, *l.3.§.in filiofa.cōmo.in P.* fit gratuito, *l.ſi vt certo, 5.§.nūc videndū, cōmo.l.1.C.eo.tit.* aliter cōmodatum nō eſt, ſed locatio. *§.item is cui, in fi quib.mod.re contrah.oblig.l.ſi gratuitā, 18.& l.ſi rem tibi inſpiciendā, 19.§.ſi cum vnū bouem, de præſcrip.verb.* ¶ Cōceditur † quoq; 5
res cōmodata ad certū vſum: & ita res quæ nō poſſunt eſſe cū vſu, ſed vſu conſumuntur, non veniunt in mutuū, *l.2.& l.ſi quis conduxerit, loca.in P.§.fi.de manda.§.1.de loca.* quia vſus dicitur eſſe, ſalua rerū, ex quib. percipitur, ſubſtantia. Quare nec pecunia cōmodari poteſt, *l.3.§.fi.& ſeq.cōmo.P.l.1.de vſufruct.in P.§.1.de vſufr.& habitatio.* quia vſusfructus nec vſus ꝓprie in ea eſſe poteſt: & Vlpia. vſumfructū & vſum earum rerū quæ vſu conſumūtur, vocat abuſum. *l.numiſmatū, de vſufr.1.& 2.de vſufr.earum rer.quæ vſu conſumuntur, §.cōſtituitur, de vſufr.* ¶ Certus † vſus eſt ille, qui deſtina- 6
tur ab eo qui cōmodat: ſicut enim voluntatis & officii magis eſt cōmodare, quā neceſſitatis, ſic etiā modum cōmodato adſcribere, *l.hoc Senatuſconſultū, §.1.de vſufr.ear.rer.quæ vſu conſum.* quod ſi incertus & indeterminatus fuerit vſus conceſſus, tutius erit vti actione p̃ſcriptis verbis. *l.in cōmodato, §.ſicut.commo.P.l.ſi gratuitam, iuncta gl.de præſcrip.verb.P.* Nec tam res, quā vſus eius conceditur in cōmodato, quo nomine valde differt a mutuo, in quo ꝙ datur, fit accipientis, *§.item is cui res aliqua, qui.mo.re contrah.oblig.l.2.de reb.cred.P.l.1.§.1.& §.is quoq;, de act.in P.* cū tamen qui cōmodat, remaneat, ſi ſit ante dominus & poſſeſſor ciuiliter rei cōmodatę, detentione naturali in cōmodatarium tantum tranſlata. *Pomp.l.rei cōmodatæ, 8.Vlp.l.nemo, 9.commo.P.* ¶ Certitudo † vſus 7
operatur ex parte dantis, vt ante expletū vſum per accipientē, res repeti non poſſit, cū interſit accipientis iuuari, non decipi beneficio. *in l.in cōmodato, §.ſicut commoda.P.c.1.§.fi.de commo.ap.Grego.* Et ideo cōmodans ꝓbare debet vſum impletū, quem conſtituit,